Einladungs-Programm

zur

Anhörung der öffentlichen Prüfung

der Schüler

des

Gymnasiums zu Hildburghausen

am 13. und 14.

und der

Redefeierlichkeit

am 15. März.

Inhalt:

I. In Aeneidis ab Hofmano Peerlkampio editae librum primum annotationes scripsit Joannes Siebelis.

II. Schulnachrichten.

Hildburghausen,

gedruckt bei Friedrich Wilhelm Gadow und Sohn.

1845.

In Aeneidis ab Hofmano Peerlkampio editae librum primum adnotationes.

Proximo abhinc auctumno quum opportunitate oblata Hofmani Peerlkampii editionem Aeneidis quae a. 1843. Leydae prodiit tractare coepissem, vidi quod exspectaveram, ingentem versuum numerum ejectum, conjecturas factas innumerabiles, ordinem verborum et versuum nonnumquam mutatum. Quod quamvis mirari liceat, nostra aetate quae effrenatam in corrigendis scriptoribus libidinem tandem coercuerit eorumque requirat circumspectam ac sobriam emendationem, doctissimo homini ingeniique acumine insigni hoc criticarum exercitationum genus placere posse; nequaquam tamen ab illa tempestate in Vergilii carmen oborta metuendum est quasi naufragium inde immineat, aut nimis irascendum Peerlkampio, quemadmodum multi fecerunt ob misere lacerata Horatii poemata. Sicuti enim Venusinus ex illo minaci impetu nihil detrimenti sed multos adeo fructus percepit, cum singulis locis ex eo inde tempore diligentius inspectis et explicatis tum maxime arte atque indole poetae accuratius investigata et aestimata: simili modo in Vergilio spero fore, ut interpretes ad multa jam rectius attendant eaque acriori subjiciant judicio; quamquam non dissimulabo Peerlkampium aliquanto minore cum studio atque acumine, nonnumquam adeo cum quadam levitate ac negligentia in Aeneide versatum esse. Ratio ejus artem criticam exercendi a quibus principiis repetatur ut inter omnes notum in universum dicere non opus est. At qui tam brevi post poetae obitum tempore ejus carmina interpolatorum sordibus inquinata jam censet et ita corrupta, ut non solum antiquissimorum codicum auctoritas sed ejusdem fere aut insequentis aetatis scriptorum testimonia atque imitationes, Ovidii Senecae Quintiliani, ne de posterioribus dicam, susque deque habenda sint; eum certissima judicandi fundamenta tollere et pro arte ac ratione arbitrium nobis reponere quivis intelligit. Ac Varium quidem et Tuccam Vergilio multa de suis addidisse, ut P. opinatur, non credibile est propter certam legem qua Augustus eos carmen ita emendare jusserit, ut superflua demerent, nihil adderent tamen; cui narrationi non est cur fidem denegemus. Potentissimi autem imperatoris legem migrare periculosum erat, si tamen essent ausi, nec Augustum nec reliquos poetae amicos fefellissent quibus ille vivus plures carminis partes recitaverat. Arguissent praeterea ipsius manuscripta, quae, quod P. putat, ab emendatoribus post absolutum opus combusta esse nec traditur a quoquam nec veri simile est ob insignem amicorum in Vergilium pietatem. Et Gellio (2, 3.) Fidus Optatus multi

nominis Romae grammaticus ostendit librum Aeneidis secundum mirandae vetustatis emptum in Sigillariis viginti aureis, quem ipsius Vergilii fuisse credebat. Denique non dubito quin Varius et Tucca, si Aeneidem ex suo ingenio ditare voluissent, ante omnia fuerint semiplenos expleturi versiculos, qui numero plures quinquaginta vel solo adspectu ostendunt carmen imperfectum esse relictum. Aliorum grammaticorum qui Vergilium in scholis legebant aut doctorum librariorum interpretamenta et supplementa nonnullis locis in textum irrepsisse negari nequit; sed in his dijudicandis magna diligentia summaque circumspectione opus esse et per se intelligitur et egregie docuit Weichertus in dissertatione *de versibus aliquot Vergilii et Val. Flacci injuria suspectis*. Quare Peerlkampii suspicio, quasi per grammaticos tanta ac tam late vagata pestis in Aeneidem irruperit, vel idcirco quia mera suspicio est vana dici debet. Deinde vero illi homines quum id ipsum quoque tamquam officii partem sibi sumserint, ut versus adulterinos obelo configerent, prorsus caeco et obtuso ingenio fuissent, si genuinis carminis versibus tantam passi essent interpolationum farraginem admisceri.

Illud quidem per se apparet Peerlkampium nullos alios locos aut ejecisse aut conjecturis tentasse, nisi quos aliquo modo aut vitiatos aut ineptos aut omnino ingenio atque arte Vergilii indignos putaverit. Unde quaestio oritur gravissima, num etiamsi ejus medendi artes non probaveris, de vitiis tamen varii generis quibus celeberrimi poetae carmen foedetur sit concedendum. Qua in causa plane ego assentior sagacissimo Britanno Jerem. Marklando in praefat. ad Statii Silvas sic judicanti: „Plurima sunt in Aeneide, quae si ego, pessimus omnium poeta, versus scriberem, nollem in meis conspici. Et licet numero infinita ultra humanae imitationis metas in illo emineant, nonnulla tamen sunt contradictoria, multa languida exilia nugatoria, spiritu et majestate carminis heroici defecta, quae si perfecti operis signa sunt, per me quantum libet perfecta sit Vergilii Aeneis. Non solus ita censeo: imo hoc sensisse videtur ipse Vergilius optimus certe sui judex; aut quare flammis aboleri jussisset hoc opus?“ Hujusmodi macularum, quas criticum indicare, non corrigere aut resecare decet, P. satis magnum numerum retexit, ipse 6,378 laudans Marklandi verba, diversus tamen a Britanno in hac re, quod ille omnia ista quae culpat recte Vergilio ipsi tribuit morte praevento, quominus carmen suum emendaret atque ad umbilicum perduceret; quum P. contra languida contradictoria exilia nugatoria, spiritu et majestate carminis heroici carentia a Vergilio scribi potuisse negans ubique interpolatores aut librariorum menda indagaverit. Alia quae idem reprehendit corrigit rescindit ita comparata sunt, ut reprehensio magis quam in poetam in interpretes cadere debeat, quos vera latuit eorum locorum sententia. Alia pauca manum emendatricem etiamnunc exspectare, perpauca ab ipso Peerlkampio ita sanata videntur, ut libenter in emendatione genuina Vergilii verba agnoscas. Namque ut in obstinato codicum contemtore non mirandum est ejus conjecturas plerumque a librorum lectionibus nimium recedere eaque arte carere, quam justa nostrae aetatis cautio ejusque in ea re peritia postulant. Quo accedit quod inter multas ad sententiam certe ingeniose inventas aliae non paucae reperiuntur tenues inficetae ingenioque et spiritu poetico destitutae: quod in tanto numero aliter fieri vix potuit. Quae si levitatis cujusdam indicia sunt, eandem in eo deprehendere licet, quod permulta sine idonea

causa vituperantur, aut ita, ut nihil plane comperiamus nisi Peerlkampio locum displicuisse, aut rationibus allatis vel levis admodum momenti vel non satis perpensis. Omnino autem quam Weichert. l. l. p. 59. in Heynio notavit judicii inconstantiam animique fluctuationem, eadem etiam Peerlkampio adhaerescunt, quum saepenumero quae aliis locis corrigendi aut delendi causam dedissent aliis aut excusaverit aut tangere omiserit. Haec omnia non praeter veritatem a me dicta esse ex iis quae infra sequuntur luculenter apparebit. Nihilo tamen secius largi Aeneidis interpretationi fructus ex hac editione redundare poterunt, modo sint quibus operae pretium videatur cum ea quae immerito tum maxime quae merito a Peerlkampio reprehensa sunt accuratius perpendere. Quare non ab re mihi esse videbatur, si hac scribendi opportunitate ita uterer, ut iis qui novam editionem nondum nossent quodammodo specimen ejus proponerem, quo cernere possent, quid novi P. et qua ratione in Aeneide esset molitus. Quam rem quum propria totius operis indoles in critica adnotatione posita sit, hoc modo institui, ut omnes ejus generis notas primo libro subjectas diligenter pertractarem, Peerlkampii de singulis locis sententiam quam brevissime exponerem, refutarem denique aut adderem, quae refutanda aut addenda esse viderentur. Restat igitur ut ab lectoribus veniam petamus, si qua minus accurate dicta aut perpensa invenerint, quoniam celeriter captum consilium paulo festinantius exsequi cogebar. Eidem temporis brevitati nostraeque librorum inopiae tribuant, si quando ut mea protulerim quae fortasse jam alii aliis locis praeoccupaverunt. Hic denique locus est commemorare quod quadam fortunae iniquitate accidit. Hanc meam scriptionem quum eo usque jam absolvissem, ut propemodum typothetae traderetur, allatum mihi est novissimum Annalium fasciculum ab Jahnio et Klotzio editorum, quod a. d. IX. Cal. Febr. prela reliquit, et incipit statim a censura Peerlkampianae Aeneidis ab ipso Jahnio scripta; quae, quod aliter fieri non potuit in viro omni genere eruditionis judiciique subtilitate et elegantia eximio, in poetis autem Latinis et in Vergilio maxime versatissimo, totius operis indolem ac rationem, fundamenta quibus Peerlkampii ars nititur, errores ac vitia ab eo commissa diligentissime exponit et acri quidem sed moderato neque injusto subjicit judicio. Et hic quoque primum librum sibi sumsit, in quo potissimum versaretur ejusque criticas adnotationes accurate pertractaret. His igitur perlectis quamquam laetabar in permultis me cum Jahnio consentire, simul tamen intellexi, quum ille insignem in ea re operam impenderit, meam scriptiunculam ut mihi ipsi sic aliis magnam partem inutilem ac supervacaneam visum iri. Quum tamen temporis angustiae obstarent, quominus consilium mutarem et aliud quid struerem, optimum duxi libellum meum prorsus ut scripsissem edere, paucis tantum ademtis paucisque additis ubi Jahnii sententiam probare non possem. Quodsi paucula quaedam homines docti repererint, quae non prorsus inutiliter disputasse videar, admodum ego ero contentus.

Incipit longa ac docta de quatuor versibus *Ille ego cet.* disputatio, quos apud Peerlkampium spuriorum quasi agmen ducere non miraberis. Pugnat hic imprimis contra Wagnerum qui defenderat ut scriptos quidem a Vergilio, sed parum accommodatos heroici carminis exordio, et quos poeta ipse, si carmen retractare potuisset, rursus sublaturus fuisse existimandus sit. Quam sententiam semper ego proxime ad veritatem

accedere opinatus sum neque nunc collabefactam puto argumentis Peerlkampii, quae in brevius contracta haec sunt. Primum fidem abrogare studet et Niso grammatico et Servianae praefationi, alteri quod fando tantummodo istam traditionem acceperit, alteri quod ex aliis libris consarcinata sibi ipsi repugnet nunc *Ille ego*, nunc *Arma virumque* ut exordio commemorato. Servium qui in ipso commentario de istis versibus taceat, eos non vidisse censet. Deinde hoc urget quod in Mediceo desunt, qui Palatino et Romano sit vetustior. Porro qui Graecorum tam illustria epicorum carminum exempla ante oculos habuerit, qui in Georgicis et in ipsa Aeneide tot ac tanta dederit sobrii et subtilis judicii documenta, qui semper sciverit primos animi impetus coercere sibique imperare; eum quamvis vitae rusticae amatorem de tali initio cogitare non potuisse, praesertim quum imitatores, Lucanus Val. Flaccus Silius Statius carmina sua cum gravi simplicitate et ab ipso statim argumento inceperint, non ad similitudinem istius *Ille ego* a scriptis antea carminibus. Praefationis loco eos versus haberi non posse, quoniam veteres poetae nihil praefati sint quod sine carminis detrimento vel addere vel demere possis; multum autem differre recentiorum ut Claudiani prologos. Tum testimoniorum numerus augetur quae *Arma virumque* ut verum Aeneidis initium agnoscant; quibus admodum arguta disquisitio adnectitur, qui fieri potuerit, ut versus illi a Vario et Tucca semel deleti ab aliis resciscerentur, quasi quod simplicissimum est cogitari nequeat, aut ab ipso Vergilio aut a Vario et Tucca cum amicis eos communicatos esse. Omni ratione caret quae postremo movetur suspicio, Nisum grammaticum supra commemoratum non eum esse, quem Arnobius testetur secundo vel tertio saeculo vixisse, sed fortasse alium quendam quinti vel sexti saeculi, quem tamen praeter Peerlkampium nemo novit. Multa praeterea in ipsis verbis reprehenduntur: verbi substantivi post *modulatus* ellipsis; *egressus silvis* carminis venatici cogitationem movere; *vicina* intelligi non posse; *colonum* et *agricolas* non bene junctos, *at* otiosum et contra morem Latinitatis positum, *horrentia Martis arma* tumide et arroganter dictum esse. Quae in iis in quibus defensore egeant, recte jam a Wagnero defensa sunt, qui tamen, nisi fallor, neque elegantiam horum versuum nimis laudare neque *vicina silvis* sed potius *vicina mihi canenti* supplere debebat. Nam poeta fingit se carmina sua ipsum agricolis canentem, quod vicinis tantum facere potuit.

De ipso Aeneidis exordio P. haec scripsit: „Initium Aeneidis sane non est expeditum. Videre mihi videor poetam homini similem, qui iter ingressurus primam habet difficilem viam, saxis et salebris et palude interruptam. Nescit quo se vertat, ubi vestigia ponat. Tandem eluctatus versu demum 34. planum tramitem invenit." Quae ut sint quibus probaverit, nonne contra se ipsum pugnat, si eadem simul glossis grammaticorum qui in principio operis diligentissimi esse soleant tantopere dedecorata censet, ut tam brevi spatio diversis locis sex versus et dimidiatum tamquam subditilios notaverit ac totidem fere fecerit conjecturas, quo magis dignum tanto poeta efficeret exordium? Statim *Lavinia litora* prolepsis ei videtur esse non ferenda, quum quo tempore Aeneas in Italiam venerit neque urbs fuerit neque litus Lavinium; idque magis ingratum fieri sequente statim: *dum conderet urbem.* Conjicit *Laurentia.* — Aeneas antequam urbis Lavinii se sciret conditorem fore si dixisset: Lavinia litora veni, jure hoc reprehenderetur; non item, si poeta cui illa urbs satis cognita esse de-

bebat litoris ad quod Aeneas appulerit inde petiit significationem. Ita Jupiter et Sibylla quibus constat futuram esse urbem Lavinium 4, 236. *Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva;* 6, 84 *in regna Lavini Dardanidae venient*, quo loco multo deterius est quod P. e codd. quibusdam non satis exploratis praetulit, *regna Latini.* Nam Lavinio commemorato certam Teucris in Italia sedem certumque regnum Sibylla vaticinatur, id quod Aeneas v. 66. oraverat. P. illos locos a nostro diversos esse putat, quamquam in ea re quae hic agitur nihil differunt. Quo jure enim Jupiter et Sibylla *Lavinia arva, regna Lavini* dixerunt pro arvis vel regnis a Lavinio condendo appellandis, eodem Verg. *Lavinia litora* pro litoribus posuit in quibus Lavinium condendum foret. Neque hoc sine ratione fecit. Ipse P. ad v. 13. scite observavit, in exordiis carminum epicorum solere aliquid obscuri esse, quod lectori conjiciendum relinquatur ejusque animum exspectatione intendat. Artificiose igitur poeta vocabulo *Lavinia* usus est, omnem fatorum Aeneae seriem totumque carminis argumentum paucissimis verbis comprehensurus. Etenim a Trojae expugnatione pergit illud ad Turni internecionem, qui imprimis ne Aeneas Laviniam duceret et urbe condenda regni particeps fieret obstiterat. Ille vero laborum finis quum per *Lavinia litora* paulo obscurius significatus sit, additur deinde: *dum conderet urbem*, quod tum tantum ingratum et molestum esset, si nomen *Lavinium* repeteretur. Malo igitur talem prolepsin statuere, quam quod fortasse alicui in mentem veniat, litora illa jam ante Aeneae adventum *Lavinia* appellata esse, a Lavinio Latini fratre quem ante hunc imperium tenuisse Servius tribus locis tradit 1, 2; 7, 59. 678. addens praeterea ejus regnum audivisse Lavinium. Hunc Lavinium neque Verg. quamquam 7, 45. Latinorum regum catalogum praebens, nec quantum scio alius quisquam scriptorum commemorat, ut totus fortasse pro grammaticorum commento habendus sit; prolepsis contra permulta exempla apud ipsum Vergilium inveniuntur, quorum nonnulla severo judici magis displicere possint, a Peerlkampio tamen plerumque sine dubitationis nota relicta sunt. 7, 186 Pico *Quirinalis lituus* tribuitur; 4, 275 Mercurius Aeneae: *cui (Julo) regnum Italiae Romanaque tellus debentur*, quem locum P. frustra tentavit; 8, 347 Evander Aeneam *Hinc ad Tarpejam sedem et Capitolia ducit;* 360 iidem *armenta videbant Romanoque foro et lautis mugire Carinis;* 3, 552. 688. 700 Aeneas Didoni Graecorum in Calabria Bruttiis Sicilia colonias enumerat quas praetervectus sit, Cauloniam Scylaceum Megaram Thapsum Gelam Agrigentum Camarinam, omnes longo tempore post conditas. Ipsae Cumae nondum fuerunt, quo tempore Aeneas 6, 2. *Euboicis Cumarum allabitur oris,* ac minus adeo Daedalus 6, 17 *super Chalcidica arce* adsistere potuit. *Portus Velinos* 6, 366 omitto, quia P. omne de Palinuro episodium „ut longius et pro cetera rerum gravitate levius nec cum argumento satis conjunctum, omnino autem ut Vergilio vix dignum" exulare jussit. Plura de his ac similibus locis *Jacobus* disputavit in *Quaest. Epicis* p. 186 sqq. a quo in eo dissentio, quod ille in parte eorum prolepsin agnoscere dubitat, quum sine dubio prolepsis sit, etiamsi ea facile ferri et excusari possit. Illa igitur si feremus, non est quod repudiemus *Lavinia litora*, quae praeterea notis Propertii versibus confirmantur 2, 34, 63. *Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma Jactaque Lavinis moenia litoribus;* quos vix credibile est illum non lecto antea Aenei-

dis exordio scripsisse, quamvis P. contendat. Multo minus certum, Statium ad quem P. provocat Silv. 4, 2, 1 *Regia Sidoniae convivia laudat Elisae Qui magnum Aeneam Laurentibus intulit arvis* ipsum carminis initium respexisse. Ac dubito propterea, quod qui statim sequuntur vv. *Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat Aequore qui lento reducem consumsit Ulixen* non magis spectant ad Odysseae exordium. Praeterea P. post accuratam Wagneri de appositione et epexegesi disputationem Quaest. 33. rejectionem copulae *que* ut gravius commendare non debebat.

4. *Vi superum saevae memorem Junonis ob iram.* P. plenam fastidii repetitionem appellat, quod brevi intervallo usque ad v. 36. Juno irascens sexies memoretur. Nescit porro, quae sit illa *vis superum*; Junonem autem non minus in ipsa Italia Aeneam vexavisse dicit quam *terris et alto jactatum.* Denique v. 8. demum ubi Musa ut causas explicet rogetur, odium Junonis esse recte declarari, minus recte aliquid de odio praecedere. Propterea non solum ejecit totum versiculum, sed quum diverso etiam numero *multum jactatus*, *multa passus* offenderetur, versus sic conformavit: *Multa ille*, *et terris jactatus et alto*, *Multa quoque et bello passus*, *dum conderet urbem.* Quod tamen fieri nequit versu illo non solum apto ac plano, sed prorsus necessario. Audiamus enim Musae compellationem: *Musa mihi causas memora*, *quo numine laeso Quidve dolens regina deum tot volvere casus Insignem pietate virum*, *tot adire labores Impulerit*; statim cognoscimus Junonis in Aeneam odium ut rem poni jam notam, alioquin Musam interrogandam fuisse: quis deus Aeneam tot adire labores impulerit et quid dolens id fecerit. Hoc simplex et perspicua epici carminis ratio postulabat et sic Homerus *Τίς τ᾽ ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός. ὁ γὰρ βασιλῆι χολωθεὶς* cet. Verum Junonem succensuisse ex solo ante, quem P. delevit versiculo discimus. Deinde *vi superum* ut recte intelligamus contrarium cogitandum est. Non casu quodam multis communi, non fortuna simpliciter adversa, sed *vi superum*, dîs auctoribus Aeneas tantum jactabatur. Ne tamen incertus haereat lector, quis deorum potissimum id effecerit, statim additur *saevae memorem Junonis ob iram.* Quod qui audiverit, etiam in belli laboribus commovendis qui inde commemorantur eandem deam odium exercuisse facile concludet. Praeter Junonem errorum potissima causa oracula deorum fuerunt; quare nollem Wagnerus *vi superum* ad solam Junonem retulisset. Fieri hoc posset verbis *saevae memorem Junonis ob iram* non additis, additis illis non potest. Nec 11, 784 *superos Arruns sic voce precatur*: *summe deum sancti custos Soractis Apollo* istud *superos* ad solum Apollinem spectat, sed *superos precatur* nihil est nisi: preces ad coelum mittit. Reliqua Wagneri exempla minus etiam quadrant. De fastidio denique in toties commemorata Junonis ira concederem, si aut iisdem vel similibus verbis aut ratione quadam minus apta aut praeter necessitatem illud factum esset. At reliquis quinque locis ne P. quidem quidquam mutavit, in nostro necessario illius irae mentionem fieri jam vidimus. Per se autem intelligitur, ubi alicujus rei causae accuratius explicentur, rem ipsam saepius appellari debere. *Multum jactatus* defendere non opus est, quoniam *multa j.* nemo Romanus facile dixerit.

8. *quo numine laeso.* Quae vulgo feruntur horum verborum explicationes

Peerlkampio non satisfaciunt, neque injuria. Nam quod Jahn. in commentario probat *quo* h. e. *qua te laeso Junonis numine* valde durum est; conjunctum autem *quo numine* nullo pacto potest significare: quomodo laeso ejus numine, quamvis multis Wagnerus exemplis demonstrare studeat pronomen *qui* non raro *modi* notionem quo quid fiat includere. Nihil enim aliud concedi potest praeter hoc, relativum iis locis ad notionem *qualis* accedere, quod saepenumero fieri constat. P. putat Vergilium scripsisse *quo crimine laesa*, quam conjecturam Heyn. in exc. ad h l. occupavit, dubitanter tamen eam proferens et conscius fortasse, de *crimine* adversus deam commisso in viro *pietate insigni* recte cogitari non posse. Mihi in hoc erratum videtur, quod plerique decepti dictione sane frequenti: deum sive numen laedere, *numen* necessario hic deum s. naturam divinam significare putaverunt. Quin vero liceat propriam vocabuli notionem retinere nutus, voluntatis, jussus? Nam quod negant *laeso* his significationibus convenire, immerito negasse videntur. Non cujuslibet personae voluntas numen appellari solet, sed earum quibus singularis est dignitas potentia sanctitas, deorum maxime, veluti 1, 133 ubi Neptunus ait: *Jam coelum terramque meo sine numine venti Misceri audetis*; 2, 123 *quae sint ea numina divom Flagitat*; 703 *Di patrii — vestro in numine Troja est*; 3, 363 *cuncti suaserunt numine divi Italiam petere*; 8, 78 *Adsis o tantum et propius tua numina firmes*. Propterea tale numen *magnum*, *grave*, *sanctum*, *invictum* est. Cic. Phil. 3, 13. *Magna vis est, magnum numen unum et idem sentientis senatus*, quae plurimorum meliorumque librorum lectio alteri *nomen* et vi sententiae praestat et commendatur reliquis quae hic sequantur exemplis: ad Quir. post red. 8. *qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum Romanum semper fore numenque vestrum aeque mihi grave et sanctum ac deorum immortalium in omni vita futurum.* Liv. 7, 30, 20 *Adnuite Patres conscripti nutum numenque vestrum invictum Campanis.* Quod vero magnum grave sanctum invictum est, hoc nefas est violare, et si violatur recte dici potest *laedi.* Nam non personae solum aut res corporeae laeduntur, sed etiam foedera fides pudor amores amicitia, quae omnia violare nefas ducimus. De ipsa voluntate legitur post red. ad Quir. 10 *neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis libertatem defuturam*; quibus conferatur Cic. pro Mur. 40. *si injuste neminem laesit, si nullius aures voluntatemve violavit.* Horum locorum exemplo non dubito quin *quo numine laeso* recte accipi possit pro: qua ejus voluntate sive quo ejus nutu laeso, quemadmodum ea verba jam vetusto tempore a nonnullis accepta esse in Servianis traditur. In censura Jahn. distinguendum censet inter *numen laesum* et *dolentem reginam deum*, ut supra *vis superum* et *Junonis ira* diversa fuerint. Quare sententiam elicit: *Welche Gottheit war denn verletzt, oder welcher Schmerz veranlasste die Juno so viel Unglück über den Aeneas zu verhängen?* Numina autem laesa esse ait oraculis suis non statim intellectis. Quae causa mea quidem sententia non sufficit, ut laesa esse dicantur; nec si *laesum numen* ad deum a Junone diversum spectat, verborum conjunctio aliam facile atque hanc explicationem admittit: ob quod aliud numen laesum vel ob quem proprium ipsius dolorem regina deum impulerit cet. Nostram ubi secutus fueris interpretationem, *quidve dolens* noli meram antecedentium epexegesin putare, quae potius *quidque* requi-

reret; quo argumento Jahn. contra explicationem usus est ipsi olim probatam. Potuit enim dea non solum propter laesum aliquem sui nutum sed etiam propter alias causas dolere, ut illa omnium maxime metuebat, ne a Romanis olim Carthago everteretur.

13 sq. *Carthago Italiam contra — studiisque asperrima belli.* Propter consuetudinem epicorum poetarum qua in exordiis paulo obscuriores esse soleant, et quia Carthago hic non parva et quasi in incunabulis ostendatur qualis Didonis tempore, sed qualis belli Punici aetate fuerit, P. utrumque versum ut spurium rescindit. At numquam opinor poetae epico tam obscuro esse licet, ut lector incertus haerere adeoque in errorem incidere possit. Urbes enim quas Tyrii coloni tenuere multae erant variisque terris dispersae, et in ipsa Africa ante Carthaginem Uticam conditam fuisse testis Justin. 18, 4, 2. Omissis illis versibus ne terram quidem aut regionem scimus ubi illa urbs fuerit sita; et quae commemorantur, amatam illam Junonis sedem locumque fuisse ubi currum atque arma condiderit, haec nimis incerta videntur indicia esse, praesertim quum constet Junonem alios quoque in orbe locos praeter ceteros coluisse. Alia signa e quibus h. l. Carthaginem cognoscas non adsunt, nisi cui sufficiant quae de excidio urbis adduntur, ita ut versibus illis nullo pacto carere possimus. Erravit etiam P. quod omnem hanc Carthaginis descriptionem necessario dixit ad Didonis aetatem pertinere, contrarium docente cum ejus initio *Urbs antiqua fuit* h. e. urbs antiquae originis fuit, tum fine *jam tum tenditque fovetque.*

16. *Posthabita coluisse Samo.* P. observat Vergilium postea numquam Samum memorasse tamquam sedem a Junone amatam, sed semper Argos. Verum praeter locum ab illo citatum 7, 286 *Ecce ab Inachiis sese referebat ab Argis Saeva Jovis conjux* unum memini ubi hoc factum sit 1, 23 a Peerlkampio adeo inter spurios habitum: *veterisque memor Saturnia belli Prima quod ad Trojam pro caris gesseret Argis.* Et statim apparet Samum ibi commemorari non potuisse. Semel praeterea 3, 547 Juno *Argiva* nominatur, ita ut poeta eo quod Samo singularem deae amorem tribuit, nequaquam sibi videatur repugnasse. Inutilis igitur Peerlkampii conjectura *post habitis coluisse Argis*, praesertim quum Samos re vera insignis fuerit Junonis cultu. Praeter Herod. 3, 60 ab Heynio laudatum vid. Paus. 7, 4, 4. Nititur denique P. in imitatione quam dicit Silii 1, 26 *Hic* (*Carthagine*) *Juno ante Argos — Optavit profugis aeternam condere gentem.* At quamquam ego neque imitandi studium, quo posteriores poetae Val. Flaccus Silius Statius etiam in minutis rebus Vergilium exprimere soleant, nec fructum nego, qui ex comparatione illorum poetarum explicandae et recensendae Aeneidi redundare possit; probare tamen nequeo, quod P. cujus in ostendendis ejusmodi imitationibus cura in universum quidem laudanda, interdum tamen nimia fuit, nonnumquam contra codicum auctoritatem nec sententia postulante, quod illi similibus locis dixerunt aut etiam non dixerunt, idem a Vergilio positum aut non positum fuisse judicavit.

17. *hoc regnum dea gentibus esse — tenditque fovetque.* Et haec statim in principio Peerlkampio nimis aperte videntur explicata esse et pro glossemate habenda. Quis tamen ex eo, quod deus terram vel urbem aliquam reliquis praeposuit ibique currum et arma servavit, eandem colligat imperio gentium destinatam esse? Neque

enim Jupiter Dodonaeis aut Eleis tale imperium concupivit, neque Apollo dilectissimae insulae Delo, neque Aegis Neptunus etsi currum ibi constituerat. Latinitatem P. frustra reprehendit. Nam quod requirit *tendit fore regnum*, quoniam non in praesens sed in futurum tempus Carthagini regnum gentium a Junone destinetur, id ipsum non satis Latinum esset, quum verba volendi optandi jubendi cum futuri infinitivo jungi non soleant. Neque omnino *tenditque fovetque* separanda sunt, ut infin. pertineat ad *tendit*, ad *fovet* autem objectum suppleri debeat veluti: hoc regnum vel hoc consilium, quod sane durum et hiulcum esset orationis genus; sed oportet potius illum infinitivum cum accus. pro communi utriusque verbi objecto habere. Postremo argumento Peerlkampio locus inservit Servianae praefationis p. 2: *unde et semiplenos ejus invenimus versiculos, ut*: *hic currus fuit.* Ubi quod objectum iri sensit, verba corrupta et *hic cursus fuit* scribendum esse, quod hemistichium 1, 534 invenitur, debile quidem ac plumbeum ille telum appellavit; nos nihilominus utamur, quum ipse Servii commentarius verba a Peerlkampio repudiata agnoscat.

21. *Hinc populum late regem belloque superbum Venturum excidio Libyae.* Locum quemadmodum vulgo interpretantur non miror Peerlkampio displicuisse. Multum ille sibi profecisse videtur, si *Et populum* scribatur; quamquam ut generale praecedat, speciale sequatur versus ac verba sic transponere mavult: *Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat, Libyae excidio: sic volvere Parcas. Hinc populum, late regem belloque superbum, Venturum Tyrias olim qui verteret arces.* Quo ingenii lusu captus ille nec animadvertit, Carthaginem delendam idcirco prius commemorari, quia hoc unum Juno maxime metuebat, neque omnino ad ordinem et nexum sententiarum satis attendit. Namque ubi dictum est: audierat Juno progeniem ex sanguine Trojano Carthaginem eversuram esse, quaeritur jam qui hoc fieri possit. Quare explicandi causa additur, populum late regnantem ex illo sanguine esse oriturum qui Libyae excidio venturus sit. Quod quum Heyn. recte perspexisset, nescio cur *hinc* ad *progeniem* retulerit. Nam quum *progeniem Tyrias olim quae verteret arces* sejungere non liceat, falsa enascitur sententia: ex illa progenie quae Tyrias olim arces verteret, populum late regem venturum esse excidio Libyae, h. e. ex ea quae ante *progenies* Trojanorum dicta est, post Carthaginis excidium *populus* evadet late regnans et totam praeterea Libyam eversurus. Quam sententiam miror Jahnium in cens. amplexum esse. Nam de vocabulis *progenies* et *populus* ipse concessit, non satis perspicuum esse qua vi et notione sibi h. l. opponantur. Quid autem Juno post Carthaginem eversam reliquam Libyam curabat, et si curabat, quid hoc attinebat ad Aeneidem? Etiamsi vero *hinc* interpreteris: ex hoc (Trojano) sanguine, caveas tamen conjungere *Hinc populum venturum.* Nam si *venturum excidio* significat: profecturum ad excidium, parum convenit *hinc*, ex hoc sanguine; sin idem est atque oriturum, futurum, ingratam tautologiam censeo, si post gravem Praes. infinitivum *progeniem duci* multo debilius et prosae orationi accommodatum *populum venturum esse* sequatur. Ordo verborum hic esse debet: Sed enim audierat Trojano a sanguine duci progeniem quae olim Tyrias arces verteret, hinc (ex hoc sanguine duci) populum late regem belloque superbum, venturum excidio Libyae h. e. qui in excidium Libyae venturus sit.

23 sq. *Id metuens — pro caris gesserat Argis.* Hujus loci anacoluthon quod dicunt neque ingratum est neque a Peerlkampio abjectis his duobus versiculis removeri debebat. Non enim video, quomodo iis carere possimus. Primaria irae causa metus est de Carthagine, secunda quae necessario additur ingens odium, quo dea jam ex Trojani belli tempore in omnes Teucros flagrabat. Quae reliquae sunt et minoris momenti sunt et antiquiores, deamque jam olim Trojanis infestam reddiderant. Quare non sine arte a Vergilio institutum est, ut hae a gravioribus mutata verborum conjunctione sejungerentur. Sed alia quoque P. culpat. *Id metuens* ait ad sententiam non necessarium esse, quoniam metus Junonis e verbis *sed enim audierat cet.* satis appareat. Et simili modo permultis aliis locis damnavit aut correxit quae ad sententiam non prorsus necessaria esse viderentur. Quod si constanter facere voluisset, tam multa praeterea ab eo mutanda et delenda fuissent, ut Vergilium vix amplius agnosceremus. At haec non est epicae poesis ratio, ut quaecumque propria cogitatione assequi possimus, ea semper sint omittenda. Etenim talis poeta quum narrantis speciem prae se ferat, res atque homines eorumque actiones ita depingere debet, ut et naturae quam maxime consentanea esse videantur et perfectam atque absolutam rerum imaginem nobis ante oculos ponant. Quod quo magis ille assecutus fuerit, eo majore nos in carmine legendo voluptate fruimur; sicuti probi artificis picturam omnibus partibus absolutam suisque coloribus plene splendentem majore cum delectatione adspicere solemus, quam cujus externae tantum formae ac lineae descriptae sint, ut tamen reliqua facili cogitatione addere queas. Subjunctum igitur *id metuens* rei descriptionem absolvit ut infra v. 61 *Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris Hoc metuens. Prima* quoque Peerlkampio displicuit, quum recte intellexisset non posse hoc significare *prius* sive *ante*, aut si posset prorsus languidum fore. Et miror Wagnerum hanc vocis significationem probasse, ut adeo Quaest. 28, 3, c. tamquam simile exemplum attulerit 6, 153; etiamsi *ea prima piacula sunto* ibi non sit: piacula sunto priusquam ad inferos descendas, ut Wagn. existimat, sed potius ad alterum donum expiatorium, ad ramum aureum spectet. Nostro loco jam Servius verum vidit, cui *prima* significat *principem.* Juno enim, quod ex Homero satis constat, princeps dux et propugnatrix omnium deorum fuerat qui contra Trojanos steterunt, atque hunc significatum *primus* non raro obtinet veluti 2, 612 *hic Juno Scaeas saevissima portas Prima tenet*; 6, 183 *Nec non Aeneas opera inter talia primus Hortatur socios paribusque accingitur armis.* Cf. Lucr. 1, 87 *Ductores Danaum delecti, prima virorum.* Neminem fugiet *prima* egregie ita facere ad irae notionem augendam. Aliter quidem Jahn. in cens. ubi reddit: *von vorn herein, im ersten Beginn*, haec praeterea addens: *Saturnia war eingedenk des schon langwährenden und bereits alt gewordenen Krieges, dessen Anfang bei Troja eingetreten war und der jetzt immer noch fortging.* Quae interpretatio ut ferri possit hoc certe incommodo laborat, quod belli etiamtum durantis Juno *memor* esse dici vix potuit. Ego *vetus illud bellum* de uno bello Trojano accipio, quo finito aliud secutum est contra Aeneam cum sociis. De novo hoc bello ipsa Saturnia:

47. *una cum gente tot annos Bella gero*, ubi qui *una cum gente* de universa

Trojanorum gente intellexerunt jure a Peerlkampio reprehensi sunt. E ratione enim oppositi, quo neglecto omnis loci vis ac pulchritudo tollitur, Junoni pugna esse debet cum leviore inimico quam Palladi fuit, quae Argivorum classem exussit pontoque submersit. Quare quum *gentem* necesse sit ad Trojanos e patria fugientes referre, P. miro quodam errore eos non amplius gentem sed gentis reliquias appellandas fuisse contendit. At Verg. saepenumero Aeneam cum sociis gentem dixit, ut statim 1, 67 in Junonis ad Aeolum oratione: *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor*; 3, 133 *laetam cognomine gentem Hortor amare focos* 5, 762; 9, 137 cet. Nomen ejus gentis *Aeneadae*, quod jam in Thracia sibi apposuerunt 3, 18 *Aeneadasque meo nomen de nomine fingo*, et quo poeta admodum frequenter utitur, 1, 565 *genus Aeneadum* ac praeterea 1, 157; 7, 284. 334; 9, 180. 235 cet. Cum hac Aeneadarum gente Juno recte se dicit jam septimo anno bella gerere, ut eadem infra 7, 310 in prorsus simili oratione: *Vincor ab Aenea*, inquit. Itaque non opus est Peerlkampii conjectura *victa cum gente*.

63. *et laxas sciret dare jussus habenas.* P. pro *jussus* quod frigidum et tamquam versui fulciendo natum dicit, *rursus* substituit, quo ipso tamen multo facilius quam illo priore carebimus. Attendere debebat ad optimam Servii adnotationem: „*Jussus* ob hoc posuit, quia suo nihil facit imperio. Nam tolle hoc et major est omnibus dis, si ad ejus voluntatem possunt elementa confundi." Quapropter ipse Aeolus v. 76 *Tuus, o regina, quid optes Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.*

66. *et tollere vento.* Propter *ventos* quorundam codd. in quibus Palatinus est, P. *ventis* conjecit; non solum praeter necessitatem quum singularis num. saepe collective usurpetur veluti, 181 *Anthea si quem Jactatum vento videat;* 307 *quas vento accesserit oras*; 4, 249 *Piniferum caput* (*Atlantis*) *et vento pulsatur et imbri*; sed ingratius quoque sequente statim: *Incute vim ventis.*

84. *totumque a sedibus imis Una Eurus Notusque ruunt.* Quum modo *venti — qua data porta ruunt* praecesserit, non nego repetitionem ejusdem verbi ibi neutra hic activa significatione positi displicere posse. Utrumque tamen locum si per se spectaveris, concedere te oportet vix aliud verbum inveniri, quod alterutri aptius reponatur. Certe quod P. proposuit: *Una Eurus Notusque cient* et gravitate et sono multo inferius est. *Ciere mare* simpliciter est excitare, *ruere* superne facta impressione ab imo evertere.

85. *creberque procellis Africus. Creber* P. nimis humile epitheton existimat, praecipue si Africum cogitemus personam esse. Imprimis tamen *creber procellis* accommodatum est, ut quod hic agitur, vis ventorum quam maxima fuisse videatur. Contra si verum esset quod P. maluit *aterque procellis*, poeta subitae noctis ac tenebrarum descriptionem praeoccupasset, quae statim sequitur. *Creber* de persona ipsum Ciceronem dixisse constat, Orat. 2, 13. *Thucydides creber est rerum frequentia.*

103. *fluctusque ad sidera tollit.* P. *pontumque* corrigit, quod vocabulum *fluctus* saepius h. l. repetatur 106. 107. 109. Namque ejusdem vocabuli post breve intervallum iteratio, quamquam ipsis veteribus non admodum ingrata aut molesta, Peerlkampio tamen in priore saltem carminis parte frequentissima causa fuit corrigendi. Ad

6, 312 tandem, quasi parem se fore desperans tantae repetitionum multitudini: „tales, inquit, repetitiones in Aeneide tam crebrae sunt, ut periculosum videatur eas ubique tollere. Testantur Aeneidem a Vergilio non esse absolutam.“ Quare deinde nimiis ejus generis correctionibus abstinuit. Verum ne in prioribus quidem libris sibi constitit, non reprehenso quod v. c. *unda* legitur 3, 195. 200. 202. 209; *nox* ibid. 195. 198. 201. 204; *aequor* 3, 262. 264. 268 et 5, 819. 821; *Tyrius* 1, 336. 338. 340; *malus* 5, 487. 489. et 504. 505. Itaque quod illis locis neque Peerlkampio nec cuiquam alii molestum aut injucundum visum est, hoc pariter feremus eo de quo agimus loco, ubi *fluctus* saepius repetitum vel sono fluctuantis maris imaginem repraesentare videatur.

109. *Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus Aras.* Unus hic est e multis locis, quos P. parum curans veterum poetarum morem talia carminibus immiscendi, ut glossemata geographica aut etymologica vix chronico libello digna deleri jussit. Longam eorum seriem Jahn. in cens. enumeravit, unde rursus Peerlkampii inconstantiam cognoscere licet, qui aliis locis multa ejusdem generis intacta reliquerit. Quem supra scripsimus versum quum post Bryantum etiam Heyn. ut spurium notasset, recte Wagn. defendit. Verborum ordinem Thiel. hunc esse vidit: Quae saxa mediis in fluctibus Itali Aras vocant.

159 sqq. *Est in secessu longo locus cet.* Hos Vergilii versus Claudian. carm. 36 (31) sic variavit: *Est procul ingenti regio summota recessu, Insula qua resides fluctus mitescere cogit, In longum producta latus, fractasque per undas Ardua tranquillo curvantur brachia portu.* Quibus quum titulus sit inscriptus: *Est in conspectu longe locus*, P. et Claudianum apud Vergilium ita legisse arbitratur et se idem praelaturum esse ait, si codd. haberent. *Secessum* enim satis per *objectum laterum* et *reductos sinus* ostendi. Quod ut concedamus, *secessus* commemorationem non necessariam esse; pulcre tamen et apte pluribus illud confirmatur, locum reconditum et ab alto mari longe remotum fuisse, quoniam talis locus tempestate et fluctibus jactatis eo optatior ac tutior videri debebat. Similia ac comparatu digna quae 3, 229 sq. leguntur: *Rursus in secessu longo sub rupe cavata Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris Instruimus mensas.* Ipsum Claudianum apud Verg. non aliter legisse manifesto docent ejus verba: *Est procul ingenti regio summota recessu.* Jure autem miramur, eundem qui coaetaneorum fere scriptorum testimoniis et antiquissimis libris fidem toties denegaverit, tali titulo credere potuisse, quem nihili aestimandum esse doctissimum hominem fugere non debebat, praesertim quum vitiatae lectionis fons non admodum sit reconditus. Videtur enim librarius memor loci 2, 21 *Est in conspectu Tenedos* utrumque versum inter se confudisse. *Est in conspectu* ne aptum quidem h. l. foret. Quod apparet si quaesiveris: cujusnam in conspectu? an Teucrorum? — Ergo Teucri totius portus et externam et internam speciem qualis hic depingitur jam e longinquo in alto mari conspexissent; quod fieri non potuit.

179. *Et torrere parant flammis et frangere saxo.* Peerlkampio explicanti: *non modo* torrere *sed etiam* frangere parant, displicet. Cur autem sic, ac non potius: utrumque simul parant, torrere et frangere? Cum in duobus codd. scriptum sit *Ex-*

torrere, hoc praeferret, nisi sit nimium. At non solum nimium, sed contra usum loquendi est, quum nemo Romanus *fruges extorrere* dixerit. Meminisse debebat Ge. 1, 267 *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.*

188. *fidus quae tela gerebat Achates.* P. „Gestabat, credo, ipse Aeneas arcum et pharetram, ut v. 312 *graditur comitatus Achate Bina manu lato crispans hastilia ferro.* An Aeneas gestabat arcum, Achates autem sagittas? Nam *tela* ad arcum referri non possunt. Credo haec non esse Vergilii.“ Talibus ille rem sibi videtur confecisse. Nimirum quia uno die Aeneas jacula ipse gestabat, idcirco reliquo quoque tempore fecisse existimandus est! Pyrrhi armiger Automedon commemoratur 2, 477, Hectoris Misenus 6, 166, Anchisae Butes 9, 647, Evandri Acoetes 11, 30, Remi denique 9, 330; cur igitur Aeneae nullus fuerit? Arcum cum sagittis *tela* appellari posse nemo negabit, Ov. Met. 5, 366 *cape tela, Cupido, Inque dei pectus celeres molire sagittas.*

195. *Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes — Dividit.* Haec verborum trajectio nescio cur tantum differat ab exemplis a Wagnero laudatis 5, 14 *Sic deinde locutus Colligere arma jubet*, 5, 400; 7, 135, ut P. similem inveniri locum negare potuerit. Maluit autem poeta pro debiliore *deinde* graviorem vocem *vina* initio ponere, quae carnium dono opponuntur. Vid. quae de Lucretio dixi Quaest. Lucr. p. 42 sq. Ergo non praestat *Deinde bonus quae vina cadis*, quam verborum collocationem P. praeferendam esse censuit.

210. *dapibusque futuris.* P. qui aliquando de *futuris* mutando cum alio vocabulo v. c. *parandis* cogitavit postea abstinuit, quum illud vidisset imitatoribus Val. Flacco 4, 592 et Claud. Eutrop. 2, 945 non displicuisse. Ita fallax judicandi norma ille sensus est, quid placeat aut displiceat, nisi conscii simus rationum cur displiceat. Praeter *pesti devota futurae* 1, 712 ab ipso Peerlkampio citatum cf. 1, 429 *scenis decora alta futuris*; 504 *instans operi regnisque futuris*; 4, 297 *motusque excepit prima futuros.*

216—219. *Postquam exemta fames epulis — nec jam exaudire vocatos.* Justa est Peerlkampii dubitatio, num *longo socios sermone requirunt* significare possit: desiderium amissorum sociorum declarant sive multa de sociis amissis inter se conqueruntur. Minus recte contendit talem sententiam ab ingenio Aeneadarum eorumque conditione abhorrere (vid. Heynii adnot.). Obstat potius verborum ratio, quum amissos aut mente tacitisque animi sensibus aut luctu et querimoniis, non autem longo sermone desideremus. Minime omnium Peerlkampii conjectura ferenda est *longo socios clamore requirunt*, ut post finitas epulas statim multum clamantes quaesitum eant, si forte passim errantes deprehendant. Ridiculum enim, eos in terra clamore requiri, quos ipsi in aequore jactari sciunt. Nec si vicino litoris loco navibus appulissent, Aeneam fefellissent in scopulo quem paulo ante ascenderat. Videtur sibi P. hac conjectura simul aliam difficultatem removisse, quae sit in verbis *nec jam exaudire vocatos.* Ad quae quum Heyn. adnotaverit „h. e. esse mortuos, quos invocari ab amicis et conclamari notus mos erat,“ haec nisi fallor ejus erat sententia: *nec jam exaudire vocatos* leniorem esse locutionem pro ingrato et tristi mortuos esse, eamque petitam

a more mortuos vocandi et conclamandi. Cf. Propert. 2, 13, 27 *Tu vero nudum pectus lacerata sequeris, Nec fueris nomen lassa vocare meum.* Atque hoc ego pro vero habeo. P. contra Heynii verba ita accepit, quasi Aeneadae ipsi amissos conclamasse dicerentur, quod sane falsum esset; et secundum suam conjecturam locum sic explicuit: „dubii inter spem et metum seu inventuri socios essent et accepturi responsum ad longos clamores, seu jam mortui essent neque adeo clamorem audire possent.“ Quod ipsum non minus falsum est. Nam si illas clamantium voces non audierunt socii, nihil aliud colligi inde potuit nisi non adesse eos, minime vero esse mortuos. Denique Peerlkampii error manifestus fit ex transitione ad Aeneam: *Praecipue pius Aeneas*, qua significatur, quod reliqui socii fecerint praeter ceteros Aeneam fecisse, ut 6, 176 *Ergo omnes magno circum clamore fremebant, Praecipue pius Aeneas.* Quid igitur? num Aeneas hic quoque praeter ceteros clamavit? — Non clamavit, sed gemuit tantum, ut frustra quaeras, cur inter longum sociorum clamorem hoc *praecipue* facere dicatur. Mihi conditioni Teucrorum nihil magis accommodatum esse videtur, quam ut viribus cibo vinoque recreatis de sociis quos per mare dispersos aut in vada et scopulos adactos reliquissent inter se quaerant et invicem sciscitentur, si quid de sorte eorum comperire possint. Nam quum pluribus navibus navigassent, fieri potuit, ut alium fugeret quod alius videret. Inter sciscitandum et alio alia referente inter spem metumque dubii versabantur, vivere illos crederent, an tunc ipsum in eo esse ut perirent (*extrema pati*), an jam mortuos esse. Talis autem sermo quum non sine gemitu et luctu institui potuerit, recte pergitur *Praecipue Aeneas gemuit.* Ita *requirunt socios amissos* significat: quaerunt, sciscitantur de amissis sociis, *sie forschen in langem Gespräch nach den verlornen Gefährten.* Cf. 6, 710 *Horrescit visu subito causasque requirit Inscius Aeneas.* Ov. Met. 8, 635. *Nec refert dominos illuc famulosne requiras.* Jam facile apparebit, quid statuendum sit de unius non magni pretii Alburgensis cod. lectione *mensaeque relictae*, quam P. propter suam conjecturam vulgatae praestare censuit. Nam sane qui clamantes circumvagantur mensis relictis hoc faciunt. *Mensas* putat ille toros in herba esse per quam fusi ederint, carnique substrata fuisse liba; utrumque praeter veritatem fingens. Nam tori non possunt mensae appellari; liba vero petiit ex noto loco 7, 109, ubi tamen non ex more factum est, ut cibos libis imponerent, sed Jove monente, h. e. in animos eorum suggerente. Aliter enim illa liba arrosa nec omen esse nec tantam Ascanii mirationem movere poterant. Heyn. *mensas remotas* ad veterem morem spectare putat, quo mensa cum epulis convivae sit apposita et ablata; hic vero Teucris per herbas epulantibus improprie dictum esse. Rectius autem nisi fallor de ipsis epulis vel ferculis accipies quae finita coena removebantur, ut simili loco 1, 723 *Postquam prima quies epulis mensaeque remotae.* Ibi enim mensas ipsas non remotas esse cum ex eo elucet, quod post epulas potatio incipit et habere debebant quo pocula ponerent, tum quod v. 736 Dido libationem in mensam fecisse memoratur. Si vero prioribus remotis aliae essent appositae, quod Servius factum esse putat, hoc non simpliciter *postquam mensae remotae sunt* dici debebat. Etiam 3, 231 ubi in insula Harpyiarum *mensas instruxisse* dicuntur, *mensae* necessario epulas significant.

227. *tales jactantem pectore curas.* Dubito num sint quibus Peerlkampii placeat conjectura *tales jactans in pectore curas*, ut non amplius Jupiter, cujus sane nullae manifestis verbis curae memorantur, sed Venus illas curas pectore moveat. Neque enim ea necessaria fuit nec locum pulcriorem reddidit. Quaeritur hoc praecipue, qualem hic Jovem cogitari oporteat. Peerlkampio enim magis similis videtur furtum quam curas meditantis, quamquam unde hoc concluserit nescio. Et congruit cum hac opinione interpretatio verborum *sic vertice coeli constitit* „sine certo consilio, nescio quid meditans," quo vel simili significatu *sic* nonnumquam inveniri constat. At si hominem otiosum decet sine certo consilio stare ac loca adspicere, Jove profecto nihil indignius cogitari potest, nec credere possum Vergilium hoc voluisse. Ille pater *qui res hominumque deumque Aeternis regit imperiis* ubi in vertice coeli consistit omnes terras ac maria despiciens, quivis eum intelligit aeterna secum consilia agitare, quibus mundus gubernatur; ubi in una praecipue regione oculos defigit, hanc tum potissimum curare ejusque sortes perpendere. Quare si statim post legimus *tales jactantem pectore curas*, non obscurum est eas curas significari, quibus Jupiter et totum orbem terrarum amplectatur et tum maxime Libyae regnis prospexerit. Heynius qui Jovem oculis animoque in Aeneae fatis defixum esse dicit, nimium videtur contendisse. Illud *sic* jam Wunderlich. docuit non differre a Graecorum *οὕτως* post participium posito, et a Wagnero Quaest. 25, 7 recte comparatum est cum simili dicendi usu, quo *tum* et *deinde* participiis subjiciuntur.

236. *qui terras omni ditione tenerent.* P. *omni ditione* pariter ac *terras omnes* repudiat, alterum propter humile alterum propter vacuum epitheton. Ipse tertium addidit infelici conjectura: *qui terras domini ditione tenerent.* Nam si quid aliud, *domini* h. l. supervacaneum est, quod praeterea saepius repetitis literis *d*, *t* ingratum versus sonum efficit. Librorum auctoritas commendat *omni ditione*, idque egregie confirmatur loco jam ab Heynio laudato 10, 53 *Magna ditione jubeto Carthago premat Ausoniam*, cui addas Sil. 8, 424 *qui de proprio cognomine primus Dixisti populos magna ditione Sabinos.* Ditionis notionem si epitheto *magna* augere licuit, similiter licuit addito *omni*, ut sit plena ac perfecta ditione, quod menti Veneris recte hic convenit, cujus est ea quae Jupiter promiserit necdum rata fecerit exaggerare.

245 sq. *Unde per ora novem — pelago premit arva sonanti.* Glossa geographica ex opinione Peerlkampii, qui talem regionum descriptionem a Veneris persona abhorrere nec verba *It mare proruptum* intelligi posse judicavit. Et ob easdem causas aliis jam ante eum hi versus displicuerant, quum miro errore, nisi fallor Servii adnotatione decepti, *mare* de ipso Timavo, *proruptum* autem pro participio acciperent. Recte contra, ut Thiel. refert, Heusing. ad Vechn. Hellenol. p. 511 supinum agnovit, ut sententia sit: it proruptum in mare. Similiter 7, 32 *Tiberinus in mare prorumpit*, et apud Lucr. 6, 436 *prorumpitur in mare venti Vis.* Comparandus praeterea Strabo 5. p. 214. *ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον· λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄλσος εὐπρεπὲς καὶ πηγὰς ζ ποταμίου ὕδατος εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ.* Quibus praeter fontium numerum diversis temporibus diversum nostra optime jam

congruunt. E novem fontibus ortus, qui tanta vi proruunt, ut totus mons vasta sonet murmuratione, it statim in mare prorupturus, postquam strepentibus fluctibus arva late inundavit pressitque tamquam pelago sonanti. Qua magnifica fluvii descriptione nescio quid Vergilio magis dignum inveniri queat. Simulque augetur his periculorum species, quae Venus Antenorem superasse ostendit; quod jam Heyn. intellexit recte iis opponi posse, qui de genuino ortu illorum versuum dubitarent.

268. *Ilus erat dum res stetit Ilia regno.* Quicumque memor est quanta cupiditate Verg. nominum gentilium etyma captare soleat, altissimae Juliae gentis etymologiam vix credat ab alio hic nisi ab ipso poeta positam esse, etiamsi ab Jove haec dici non laudaverit. Simulque tenendum Romanis gentium suarum inter vetustissimos homines investigationem perquam gratam ac plenam deliciarum visam esse. Itaque hic versus non magis in suspicionem vocandus est quam infra v. 288 *Julius a magno demissum nomen Julo*, ubi et Heyn. et P. Vergilium agnoverunt. Quod autem P. negat *dum res stetit Ilia regno* Latine dici posse, hoc fateor me non perspicere. Nam si Latinum est *res Ilia stetit*, quod ab ipso conceditur, non minus Latinum addito *regno*, modo hoc vocabulum recte explicari possit. Illius conjecturam: (*Ilus erat dum res stetit Ilia*) *regni Triginta magnos volvendis mensibus orbis Imperio explebit*, ut *regni imperio* jungatur, admodum invenustam esse apparet cum propter ingratum in caesura et verborum collocatione, tum quod *regni* prorsus supervacaneum est. Wagn. *dum res stetit Ilia regno* idem esse ait ac: dum res stetit Ilio regno, comparatis Livii verbis 1, 3 *res Latina puero stetit.* Sed ejusmodi hypallage nec consentanea est sententiae loci nec necessaria, modo *regno* non pro dativo, sed pro ablativo accipias qui modi ac rationis dicitur: *so lange der Ilische Staat mit seinem Reiche bestand*, quod nisi fallor etiam Thiel. voluit. Cur Verg. *regno* addiderit non obscurum est. *Urbs Ilium* ceciderat neque amplius stetit, *res Ilia* non prorsus ceciderat sed durabat, superantibus non solum Aenea cum sociis verum etiam Dis Trojae Penatibus, quamquam ea illo tempore regno carebat. Sic poetam judicasse e multis locis elucet, quum semper Aeneae consilium ostendat novum Ilium novamque veterum Penatium sedem condendi. 1, 68 Juno de Teucrorum gente: *Ilium in Italiam portans victosque Penates;* 3, 86 Aeneas *reliquias Danaum atque immitis Achilli* h. e. se cum sociis et Penatibus *altera Trojae Pergama* appellat. Idem 132 *Ergo avidus muros optatae molior urbis Pergameamque voco*, et 502 ad Helenum: *Cognatas urbes olim populosque propinquos — unam faciemus utramque Trojam animis.* 7, 233 *Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit*; et 322 Juno memorat *recidiva Pergama.* Praeter cetera autem legenda sunt Evandri verba 8, 470 *Maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquam Res equidem Trojae victas aut regna fatebor*; quibus conferatur Ov. Met. 15, 437. *Priamides Helenus flenti dubioque salutis Dixerat Aeneae cum res Trojana labaret: — non tota cadet te sospite Troja.* Quae quum ita sint, facile intellectu est, Jovem simpliciter *dum res stetit Ilia* dicere non potuisse, ne significare videretur eam tunc prorsus esse collapsam. Similem ablat. 2, 88 *Dum stabat regno incolumis* (*Palamedes*) jam Heyn. in exc. ad h. l. adnotavit.

276. *Romulus excipiet gentem.* Recte P. sensit vulgarem interpretationem:

accipiet regendam gentem Trojanam nec historiae convenire nec ferri posse propter Latinitatem. Namque ut vix Latinum esset: regnum sive imperium *excipere* pro *accipere*, quoniam *excipere* significat: extrinsecus in se vel apud se aliquid recipere; sic *gentem excipere* recte ita intelligi nequit. P. ut solet conjectura locum sanare studuit et scripsit: *Inde, lupae fulvo nutricis tegmine laetus, Romulus excipiens, gentem et Mavortia condet Moenia*, quod tamen vereor ne priore lectione obscurius sit. Neque ipse P. de vi vocabuli *excipiens* videtur satis certus fuisse. Nam primum *veniens, nascens* interpretatur; deinde ornate dictum esse ait pro simplici *inde*, et *inde excipiens* pro *tum vero, tum autem, at tunc*. Denique „in *excipiens*, inquit, intelligi potest *illud* de quo loquimur, Romam condendam.“ Ergo haec mittamus et videamus potius, num e verbis *excipiet gentem* alia ac probabilior sententia enucleari possit. Retineo autem eandem quam supra indicavi verbi *excipiendi* notionem, et locum sic interpretor: recipiet gentem apud se h. e. in civitate sua. Quum enim constet Romulum cum Albanae gentis numero secum abducto novam urbem et civitatem condidisse, recte hoc poeta dixit: *excipiet gentem et Mavortia moenia condet et exceptos de suo nomine Romanos dicet*. Quod partem tantum Albanorum civium excepit, nihil obstat; nam *excipiet gentem* non necessario cogit, ut totam gentem exceptum iri arbitremur.

288. *Julius a magno demissum nomen Julo.* P. Augustum negat a Romanis Julium Caesarem appellatum esse, quare ad ambiguitatem vitandam *Julia stirps, magno cet.* scribendum censet. Sed multum differt utrum *Julius Caesar* scribatur, an *Caesar* praecedat, *Julius* sequatur post longius intervallum, ut potius pro appositione habendum sit hac sententia: e Julia gente ortus, *der Julier*; quod ipsum P. conjectura sua consequi voluit. Augusto ex adoptionis jure plenum nomen fuisse C. Julio Caesari Octaviano, atque hinc multa quae ad eum pertinerent cognomen Julium traxisse non est quod memorem. Nam leges ab Augusto latas Julias nominatas esse constat; *edicta Julia* habet Hor. Od. 4, 15, 23; *portum Julium* Suet. Aug. 16 et hinc *undam Juliam* Verg. Ge. 2, 163. Jahnio in cens. ostendere conanti ipsum Julium Caesarem, non Augustum hic intelligendum esse, equidem non assentior. Quum enim v. 921 *Aspera tum positis mitescent saecula bellis* et quae sequuntur manifesto ad solum Augustum spectent, aut nomen ibi addendum aut alia quadam ratione ejus persona significanda et a priore distinguenda erat, ne quis particula *tum* deceptus haec quoque ad Julii Caesaris tempora referret. *Nascetur pulcra Trojanus origine Caesar* recte etiam de Augusto dici potuit, qui non solum adoptionis jure, sed ut nepos ex sorore Julii Caesaris cognatione quoque ad gentem ejus pertinebat. Nemo autem negabit, *spolia Orientis* multo aptius ad Augusti praedam Parthicam referri multis nominibus celebratam, quam ad Julii Caesaris in Aegypto et Asia victorias. Nec quidquam denique impedit, quominus *vocabitur hic quoque votis* ad Augustum pertineat, cui poeta divinos post mortem honores vaticinetur.

292. *Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* Heynii pulcra et perspicua interpretatio quam in exc. proposuit tantum lucis loco adspergit, quantum umquam fieri potest in symbolica quam dicunt locutione. Nam Quirini Remique nominibus non certas quae Vergilii aetate fuerint personas significari verisimil-

limum fit eo, quod subjuncti sunt Deabus Fidei et Vestae quibuscum jura sint daturi. P. vero parum attentus ad gravissimam Heynianae argumentationis partem, qua docemur qui illorum fratrum concors commemoratio pacis symbolum esse possit, non aliam nisi hanc e poetae verbis sententiam elicit: „tempora Romuli et Remi redibunt. Caedes igitur fraterna et perpetua bella redibunt;“ quae sane h. l. prorsus inepta sunt. De portentosa conjectura quam inde lectoribus suadere conatur: *Cana Fides et Vesta Numa cum vate Quiriti Jura dabunt*, ubi Numa vates Augusti vices teneat, amplius disserere non opus est.

303. *Imprimis regina quietum Accipit in Teucros animum mentemque benignam.* Semper mihi opinio fuit non admodum feliciter a Vergilio inventum esse, quod Mercurius Carthaginem mittitur Poenorum animos in hospites mitigaturus, antequam illi de Teucrorum adventu quidquam comperissent. Atque illud quidem *ponuntque ferocia Poeni Corda volente deo* graviter ac poetice dictum est, multo tenuiora quae exinde de regina sequuntur. Quis tamen propter hanc unam causam verba illa statim ejiciat, quibus ne carere quidem possimus? Etenim Didonis in toto hoc episodio tam insignes partes sunt eaque in hospitali officio praestando tantum excellit prae reliqua civium multitudine, ut Verg. non potuerit non commemorare, ex parte certe Mercurio hoc deberi, cujus missio aliter plane praeter necessitatem inserta videretur. Nam qui reliqui Poeni hic ferocia corda posuisse dicuntur, eosdem paulo post videmus appulsas naves igni atque armis excepisse. Illud vero nemo subtilioris judicii facile credat, poetam in Poenis ferocia corda ponentibus Didonem simul comprehendere voluisse. Ut igitur illa verba necessaria sunt, ita quivis probam in iis sententiam agnoscet, ut adeo vocabulo *imprimis* sequentium exspectatio apte commoveatur. Confirmatur denique locus imitatione Silii, 8, 160 *Motus erat placidumque animum mentemque quietam Troius in miseram rector susceperat Annam.* Cujus testimonii auctoritatem P. eo debilitare conatur, quod in isto Silii libro multa spuria esse dicit.

315. *Virginis os habitumque gerens et virginis arma, Spartanae.* Haec quamvis Wagn. et interpunctione et interpretatione egregie adjuvisset, P. tamen *virginis ore* offensus vix dubitat quin Verg. scripserit *Numinis os habitumque gerens, sed virginis arma Spartanae, vel cet.* „Venus, inquit, os et habitum deae servaverat, sed vestitum mutaverat. Ab Aenea agnosci cupiebat. Itaque Aeneas statim videbat in ista forma esse aliquid divini, ac tandem plane non dubitabat.“ Verum ex ea conjectura quae insigne levitatis documentum est, non universum vestitum sed arma tantum mutavit, reliqua deae retinuit. Quare os et habitus si deae erant, ab humano certe diversa esse debebant, ut stultus fuisset aut caecus Aeneas, nisi statim primo adspectu certe sese deam videre scivisset; quod in discessu demum factum est ubi v. 405 *vera incessu patuit dea* et *matrem agnovit.* Deinde habitus venatricis, coma vento diffusa, nuda genua, surae alte vinctae purpureo cothurno num deae haec faciunt habitum? Dianae fortasse, at non Veneris, cui ubi divina specie apparet multo magis conveniunt ambrosiae comae divinum vertice spirantes odorem et vestis ad imos pedes defluens, qualis in discessu describitur. Omnino autem quaeritur, si quibus prius apparuit os et habitus jam divina erant, cur discedens aliam induerit faciem aperte magis splendi-

dam ac divinam? cur non ab initio propria sua forma contenta fuerit? cur denique, si ut P. ait a filio tamquam dea agnosci cupiebat et divinum os gerebat atque habitum, v. 335 perspicuis verbis sese deam esse negare possit. Illud verum est, Aeneam venatricem ut deam compellare. Sed factum hoc videtur Ulixis exemplo ubi Nausicaam alloquitur, *Γουνοῦμαί σε Ἄνασσα· θεός νύ τις ἦ βροτός ἐσσί* cet. Intercedit tamen discrimen, quod Ulixes sub finem orationis veram feminam agnovisse videtur, Aeneas contra deae nomen usurpare pergit. Unde statuas aut divinam naturam quamvis humana specie recondita esset, tamen ita eluxisse ut ille deam esse suspicari potuerit, quemadmodum 5, 646 Iris sub Beroes specie Trojanarum mulierum coetum ingressa Pyrgonem non fefellit; aut Aeneam ex more Vergiliani aevi locutum esse, quod jam consuevisset homines ut deos compellare.

317 *volucremque fuga praeverteret Hebrum.* De loco propter doctorum hominum dissensum celebri non habeo quod optimae Wagneri expositioni addam. P. *Eurum* praefert *volucer* de aqua dici posse negans. At Plin. H. N. 5, 9 de Nilo: *Insulas ita innumeras spargit quasdamque tam vastae magnitudinis, ut quamquam rapida celeritate tamen dierum quinque cursu non breviore transvolet.* Si opus esset facili opera corrigeretur *volucrique fuga.* Et Silius in manifesta Vergilii imitatione 2, 73 illud epitheton Hebro non addidit: *Quales Threiciae Rhodopen Pangaeaque lustrant Saxosis nemora alta jugis cursuque fatigant Hebrum innupta manus.* Quem locum Wagn. laudavit nec P. tacere debebat, quum multis aliis locis Silii testimonio utatur.

329. *An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?* Vix credibile est Peerlkampium verbis planissimis tantopere offensum esse. Interpretatur ea: esne ipsa Diana, an nata ex Nymphis Dianae comitibus? et porro sic concludit: Nymphae quae Dianam comitabantur castae esse debebant; ergo si qua ex illis nata esse diceretur, pariter contumeliosum esset, ac si Romanus dixisset: esne Vesta, an nata ex sanguine virginis Vestalis? aut Christianus qui Abdissam alloqueretur: esne Abdissa, an una ex sanguine Nonnarum? De qua contumelia fortasse esset concedendum, si verba talem sententiam continerent. At quamquam dea propter singularem habitum Dianae comes videre potuit, eandem ex ipsis Dianae comitibus natam esse minime opportebat. Neque hoc Aeneas quaerit, sed simpliciter: an una es ex genere Nympharum? Quarum quum innumerabiles matres factae essent et rursus peperissent Nymphas heroes homines, in ea interrogatione nihil contumeliosi inesse potuit. Conjectura Peerlkampii haec est: *an pars Nympharum agminis una?*

338. *Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem; Sed fines Libyci.* Plura in his a Peerlkampio reprehensa sunt: *urbem Agenoris* insipidum esse cognomentum, quod ferri possit de ipsa Tyro, non de Carthagine; *urbis* vocabulum paulo post repeti, et omnino sufficere *Punica regna vides;* denique *sed* in tam brevi oratione sine idonea causa positum nihil nisi versum explere. Sequuntur conjecturae: *Tyriaque ab origine stirpem* sive *Tyrioque ab Agenore stirpem. Vicini Libyes, genus cet.* Videtur autem oblitus esse hic non poetam ad lectorem sed Venerem ad Aeneam loqui, qui postquam audivit Punica se regna videre, neque Tyriorum sive stirpis

Agenoreae urbem esse scivit, neque Tyriam illam urbem in Libycis finibus sitam esse. Recte igitur opponuntur: regna Punica vides et Tyriorum urbem, sed fines sunt Libyci. De *Agenoris urbe* miror Peerlkampium Silii tam saepe laudati non meminisse apud quem vide *arces Agenoreas* 1, 15; *Litora Agenoreae terrae* 17, 58; *Agenoreas portas* 198. *Agenoreus ductor* 392; *Agenoreos nepotes* 404 ubique pro *Carthaginiensibus*.

343. *Huic conjunx Sychaeus erat ditissimus agri Phoenicum.* Propter primam in Sychaei nomine productam, quae aliis locis semper corripitur, P. praeter necessitatem reponendum censuit *Huic conjunx aequaevus erat*, quod epitheton magis in amico quam in conjuge facit ad significationem amoris augendam. Et aegre hic caremus nomine Sychaei. Memorabili ratione P. h. l. Silii auctoritatem adhibuit: „Silius, inquit, diversis locis ter Sychaei nomine utitur 1, 90; 3, 245; 4, 825. Ubique primam fecit brevem. Si vidisset primam a Vergilio etiam productam, mirum ni et ipse semel produxisset." Qui imitandi ardor profecto nimius esset. Lectio *ditissimus agri* jam satis a Wagnero defensa est Quaest. 39, neque a Peerlkampio Huetii conjecturae *ditissimus auri* postponi debebat. Vergilio in rebus describendis multo saepius Romanorum mores atque instituta ante oculos versari quam hominum de quibus narret, novissimo tempore ostendit Laur. Lersch in libro de *Antiquitatibus Vergilianis*, Bonnae 1843.

363. *Portantur avari Pygmalionis opes pelago.* Sensit P. *opes Pygmalionis* significare non posse: quas opes Pygmalion animo et spe praecepisset; quod ipse conjecit: *Pygmalionis spes* et versum duriusculum efficit et magis convenit Justini quam Vergilii narrationi. Ille enim 18, 4 Acerbam, quo nomine Didonis avunculum simul et maritum appellat, magnas refert sui opes regis metu terrae credidisse nec tamen fefellisse eum, sed ab illo cupiditate incenso necatum esse; deinde vero ipsum Pygmalionem a Didone istis divitiis esse deceptum. Verg. contra nullas opes memorat ab ipso Sychaeo absconditas ac regi per famam proditas, sed simpliciter *veterem thesaurum ignoti auri*, quod ne Pygmalion quidem novisse videatur. Quare nullo pacto ejus *spes* appellari potest. *Opes* contra confirmantur locis ab ipso Peerlkampio laudatis Ov. Her. 7, 150, ubi Dido Aeneae scribit: *Hos potius populos in dotem — Accipe et advectas Pygmalionis opes*, et Alcimi Aviti: *portantur avari Sic Pharaonis opes.* Possunt eae ad veterem illum thesaurum referri, qui quum non dicatur Sychaei fuisse ad Pygmalionem potius ut terrae dominum quam ad Didonem pertinebat; nec quidquam impedit, quominus praeterea de propriis quoque Pygmalionis opibus plus vel minus abreptum esse putemus.

367 sq. *Mercatique solum — circumdare tergo.* Post Beckium P. hos versus tamquam prorsus inficetos damnavit. At non verisimile est, ut recte ait Wagn., Vergilium rem a multis celebratam silentio praeteriisse. Neque ille tam imperitos sibi lectores fore speravit, qui quod P. veretur *facti de nomine* ad *factum* referrent, cujus *dux femina* modo dicta esset. Tum demum ejus vocabuli significatio ambigua et iteratio ingrata foret, si verus esset de quo Wagn. cogitat versuum ordo: *dux femina facti. Mercatique solum facti de nomine Byrsam, Taurino — tergo, Devenere locos*

est. Ait enim *devenire* de iis quoque dici, qui in coloniam deducantur. Quod verum est, ubi adveniunt coloniam condituri, nullo pacto ubi jam adsunt et solum jam sunt mercati.

377. *diversa per aequora vectos Forte sua Libycis tempestas appulit oris. Forte sua* Peerlkampio difficile et molestum videtur esse non solum ob proxime praecedens *forte per auras*, sed quoniam semper casus sit in tempestate. Causa tamen non obscura est ob quam poeta addiderit. Ut temporum illorum erant mores quicumque ad alienas oras appulerunt facile incolarum suspicionem moverunt, ne pravo consilio venissent aut hostile quid meditarentur. Notus est Telemachi apud Nestorem, Ulixis apud Polyphemum adventus. Simillimus Vergilii locus 8, 110, ubi Pallas Aeneae adventanti occurrit. Ut igitur Ilioneus paulo infra 527 perspicuis verbis talem suspicionem amovere studet, sic h. l. Aeneas paulo tectius affirmans, se non consilio sed solo casu in Libyam devenisse. P. conjecit: *diversa per aequora ventis Jactatos Libycis tempestas appulit oris.*

380. *Italiam quaero patriam et genus ab Jove summo.* Veteris Dardanidarum gentis quum nulla amplius vestigia aut reliquiae in Italia commemorentur, probari nequit, Wagnerum *genus ab Jove summo* ad *quaero* retulisse copulamque restituisse. Neque P. probavit, qui tamen pariter ac Wagn. sensit, si *genus ab Jove summo* interpretaremur: Jove oriundus, sententias ordine non satis recto procedere. Vide igitur quomodo poetae membra disjecerit: *Sum pius Aeneas, fama super aethera notus. Italiam quaero patriam, genus ab Jove summo. Classe veho mecum raptos ex hoste Penates*; ne sic quidem quod voluit assecutus, quum *Italiam quaero patriam* nunc quoque justum orationis ordinem interrumpat, praeterea vero eo falsus, quod verba *raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum*, quibus ratio continetur cur Aeneas *pium* se appellet, ab eo vocabulo sejunxit. Erunt qui turbatam sententiarum seriem commotiore Aeneae animo excusent, neque injuria fortasse. Memorabile tamen transposito uno versiculo omnia optime procedere. Lege enim: *Libycis tempestas appulit oris. Italiam quaero patriam, genus ab Jove summo. Sum pius Aeneas cet.* Posteaquam narravit, Troja profectum non consilio se venisse sed tempestate appulsum, nihil aptius addere potuit ad veritatem dictorum confirmandam quam ipsum itineris consilium. Deinde praeter cetera origo ab Jove commemoranda erat, ob quam religionis non expertibus sanctior et magis inviolabilis videri potuit. Tum recte nomen ipsum et reliqua sequuntur.

382. *data fata secutus.* Falso P. contra vulgarem interpretationem: data oracula contendit, Vergilium quoties de adventu Aeneae in Italiam loquatur, toties ante oculos habere fata quasi personam, non tamquam oracula. Contrarium docent 1, 205 *Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt*; 5, 702 *Siculisne resideret arvis Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras* et permulti similes loci 6, 45. 72; 7, 239. 255. 584; 9, 137 cet. ut dubitari nequeat, quin nostro quoque loco *fata* recte sic accipiantur. P. conjecit: *mea fata secutus.*

384. *Ipse ignotus egens Libyae deserta peragro.* „Pro *Libyae,* ait P., elegantius esset *exsul.* Calamitates istas saepe conjunctas invenimus et patiebatur Aeneas.“

Cui bono igitur verba *Europa atque Asia pulsus* statim adduntur, nisi gravius etiam quam simplex illud vocabulum Aeneam exsulem esse significant?

393. *Adspice bis senos laetantes agmine cycnos.* Post Heinsium Peerlkampio verba sic posita sono et cursu intolerabilia visa sunt, quare versum sic scribendum esse censuit: *Agmina bis senos laetantia conspice cycnos.* Non animadvertit *bis senos* propterea primum objecti locum tenere, quod ille numerus hic propter duodecim amissas naves alicujus momenti est. Et quid tandem, si illa corrigamus, his faciemus 5, 306 *Gnossia bina dabo laevato lucida ferro Spicula;* 557 *Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro.*

395. *nunc terras ordine longo Aut capere aut captas jam despectare videntur.* Mirum est hunc locum interpretibus tam difficilem explicatu visum esse, ut multo studio in eo versati tamen non in una re erraverint. Erravit imprimis Wagn. cujus interpretationem P. probare non debebat. Nam si illa verba significant: „terras partim capere, partim qui primi terram attigerant, jam rursus in altum sublati despectare videntur;“ primum *ordine longo* ferri nequit, qui cogitari tantum potest omnibus simul aut volantibus aut sedentibus, non autem ubi alii in terra resident, alii rursus evolant. Deinde tota comparatio falsa est et clauda, si naves ab alto in portum devectae cum cycnis aequantur, qui terram capiant quidem, sed captam statim rursus relinquant. Neque apte *reduces* ii dicuntur ludere, qui redeunt in coelum unde modo fugerant, et ubi longinqui a consueta sede novis periculis sunt obnoxii. Ut rem facilius expediamus illud maxime tenendum est, in ora maritima haec fieri, ut cycni quum aperto coelo pulsi terram capere dicantur, supra mare etiam volatum tetendisse et inde in terram redire putandi sint. Et postulat hoc comparationis cum navibus ratio. Verum ubi aves longo ordine volantes a mari terram capiunt, non necessario ipsam attingunt ibique residunt, sed recte eam cepisse dicuntur, si volantes non amplius mare sed terram despiciunt. Unde sententia nascitur non obscura: videntur aut in eo esse ut terras capiant, aut cepisse ut jam in eas despiciant. Et patet cur Venus haec incerta relinquat. Quisquis enim aves tam alte volantes, ut cycni faciunt, a mari terrae appropinquare conspexerit, vix poterit certe affirmare, quo temporis momento totum eorum agmen aut ceperit jam terram aut sit capturum. Reduces autem ad terram ubi facili negotio sese recondere possint, securi jam ludunt et in aere circulos describunt et canunt. Non aliter naves aut securum portum jam tenent (terram jam ceperunt), aut ostia pleno velo subeunt (in eo sunt ut capiant).

398. *Et coetu cinxere polum cet.* Utrumque versum P. infelici tentavit conjectura, quam refellere non opus est. *Cinxere polum* nimium ei videtur in tanto coeli spatio, quare Vergilium dedisse judicat *cinxere lacum.* Ad alterum versum Quintiliani testimonium parum curans haec adnotavit: „Pro *tuae* elegantius esset *ducum*, *puppesque ducum pubesque tuorum.* Latinum est *pubes tuorum*, ut *turba tuorum.* Sed cum *tuae* conjunctum diversum significare videtur, ut puppes sint *Aeneae*, pubes *aliorum.*“

420. *adversasque adspectat desuper arces.* Wagnero displicuit, quod paulo post Carthaginienses dicuntur *moliri arcem.* P. more suo ad corrigendum pronus *adspectat desuper aedes* scripsit, pro re aptissima humile quid reponens et poeta indignum.

Nimirum Aeneam ubi colle adscenso urbem primum desuper conspexerit aedes potius vidisse dicemus, quae ne adversae quidem sed infra jacebant, quam insigne urbis caput, acropolin adverso colle exstructam? Neque in eo haerendum est, quod Carthaginienses eandem *arcem moliri* dicuntur. Namque ita jam stare potuit, ut admirabilem adspectum praeberet, neque tamen perfecta esse; id quod confirmant 1, 366 *surgentemque novae Carthaginis arcem*; 4, 260 *Aeneam fundantem arces ac tecta novantem conspicit.*

421. *Miratur molem Aeneas, magalia quondam.* Posteaquam P. in antecedenti versu *aedes* correxit, *molem* singul. numero repudiat et *moles* requirit, ut magna urbis aedificia significentur. Apparet autem *molem* ad arcem pertinere, cujus ingens magnitudo olim ibi positis magalibus apte a poeta opponitur, non quo Aeneas ipse illa magalia novisset, sed ut lector tantam rerum vicissitudinem magis admiretur. In his nihil stulti, quo nomine P. Servii qui idem voluit interpretationem castigat; altera sententia, quam ipse praeter necessitatem elicuit, ut locum tamquam ineptum rejicere posset: miratur *nunc* stare molem, ubi quondam magalia stetissent, ea verbis omnino non continetur. *Magalia* veterum testimonia eadem fere cum *mapalibus* fuisse affirmant, cum quibus saepe sint commutata. Servio teste ad h. l. *Poenorum casae pastorales* sunt. Isidor. Orig. 15, 12 *aedificia Numidarum agrestium oblonga incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sint, sive rotunda in modum furnorum, et magalia dicta quasi magaria, quia magar Punici novam villam dicunt.* Plin. H. N. 5, 3 Numidarum Nomadum quas plaustris circumferunt domus *mapalia* dicit, similiter ut Verg. Ge. 3, 340 *Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu Prosequar et raris habitata mapalia tectis?* addens pastores ea tecta secum egisse. Quem locum P. laudat, inde demonstraturus nec *magalia* stetisse in eo loco, ubi Carthago jam condebatur, nec Vergilium hunc de quo agimus versum scripsisse. „Haec, inquit, tuguria, hi Nomades in eo litore quo appulit Dido non fuerunt. Neque fuerunt *magalia* villae Afrorum. Quid enim ibi ararent? Et si fuissent, hanc agri partem Didoni non vendidissent." Quae omnia quo jure P. neget, ego non perspicio. Rem planissimam, eo loco ubi tunc oppidum et arx Carthaginis condebatur, quondam magalia h. e. casas sive pastorum sive agrestium fuisse, talibus argumentis non evertit. Provocat tamen ad 4, 259 ubi Mercurii Carthaginem adventus sic describitur: *Ut primum alatis tetigit magalia plantis, Aeneam fundantem arces ac tecta novantem Conspicit.* Quo loco si *magalia* ut P. vult domus essent a Tyriis recens exstructae, omnino id contra nos pugnare videretur. Sed merum hoc est illius inventum et significant ibi aut partem Carthaginis aut universum locum ubi ea urbs condita est. Utrumque testimoniis firmatur, alterum Servii ad 1, 368: *Carthago antea speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum complecteretur, cujus interior pars Byrsa dicebatur, exterior Magalia. Hujus rei testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui Vita illustrium inscribitur;* alterum duobus Silii locis 14, 7 *Vel Tyriae quondam regnata magalia genti;* 15, 419 *Forte dies priscum Tyriis solemnis honorem Retulerat, quo primum orsi Carthaginis altae Fundamenta novam coepere mapalibus urbem* h. e. in mapalibns sive loco mapalia

dicto novam coepere urbem, non mapalibus exstruendis. Nam hic quoque P. frustra contendit *mapalia* aedificia esse Didonis tempore condita.

426. *Jura magistratusque legunt sanctumque senatum.* P. iis assentitur qui versum deleverunt, novas rationes non addit. Ego quamquam non diffiteor, abjecto illo locum pulcriorem fieri, a Marone tamen insertum credo. Nam Jahn. et Wagn. recte observaverunt ex Romanorum more haec conficta esse, ut quae paulo post de theatro sequuntur. Ante omnia vero ad id attendendum est, quod Verg. reliquis quoque locis ubi oppidum narrat recens conditum esse, 3, 132 sqq. 5, 755 sqq. eundem rerum ordinem sequitur, ut muros et arces, domos privatas, jura et senatum commemoraverit; quae omnia novae civitati maxime necessaria sunt. Itaque hic quoque muros ducunt, moliuntur arces, domibus loca optant, constituunt jura, magistratus ac senatum legunt; postremo ut minus necessaria etiam portus et theatrum struere dicuntur. Recte autem Heyn. adnotavit, Aeneam comitia vidisse, unde facile concluserit aut leges rogari aut creari magistratus.

427. *hic alta theatri Fundamenta locant.* Quum P. repetitione ejusdem vocabuli offendi soleat, non mirum est eum ob sequens: *scenis decora alta futuris* praestantiorem hic judicasse fragmenti Vatic. lectionem *lata theatri fundamenta.* Illud recte sensit, diversa significatione iterationem vocabuli *alta* excusari non posse, quoniam ea notionis diversitas e nostra cogitandi ac loquendi ratione ficta est. Mihi *alta* non sine vi iteratum et ad magnificentiam theatri augendam facere videtur.

444. *sic nam fore bello Egregiam et facilem victu per saecula gentem. Facile vivere* est sine curis ac molestiis vivere et tali conditione, qua facile nec magna opera victum comparare possis. Wagneri interpretationem: opibus et omni rerum abundantia affluentem vivere, ut adeo potentiae significatio tecte inferatur, P. non immerito rejecit, qui tamen illud sine justa ratione negavit, *facilis victu* idem significare ac *facile vivere*, aut si de singulis hominibus dicatur *facile vivere,* idem recte dici de tota gente. Namque ut nemo vituperabit: homo vel gens aspere vivit, h. vel g. aspero victu, h. vel g. asper vel aspera victu, cl. Sil. 3, 280 *mensis asper populus victuque maligno;* pari modo opinor poterit dici: homo vel gens facile vivit, facili victu, facilis victu. Itaque portentum illud indicavit, Carthaginienses sine magna opera et molestia victum sibi comparaturos esse, quod evenit deinde insigni qua floruerunt mercatura. Egregie hoc firmatur Eustathii testimonio ad Dionys. Perieg. 195, quem locum Heyn. in exc. attulit: *εὗρον κεφαλὴν ἵππου, καὶ συμβαλόντες σημαίνεσθαι σχολὴν αὐτοῖς καὶ παρ᾽ ἄλλων δόσιν τροφῆς, καθὰ καὶ τοῖς ἵπποις, ἔκτισαν ἐν τοιούτῳ τόπῳ Καρχηδόνα.* Quae ad mercaturam spectare quum Heyn. recte sensisset, miror eum in explicatione de annona affluente ex agrorum ubertate et cultu perseverasse, adductum nisi fallor loco Ge. 2, 458. *O fortunatos nimium agricolas, quibus ipsa Fundit humo facilem victum justissima tellus.* P. *victus* commemorationem omnino spernit h. l. quoniam plerumque in usu sit de re tenui, immemor ille *basilici victus* Plaut. Pers. 1, 1, 32. *luxuriosi victus* Quint. 5, 10, 27; imprimis Lucr. 4, 1127 *Eximia veste et victu convivia, ludi, Pocula crebra, unguenta, coronae, serta parantur.* Scribit *haud facilem vinci* quoniam in *haud facilem victu,* quod olim jam homo doctus con-

jecerat, nescio quam ambiguitatem remanere arbitratur. Durum tamen quod copula deest inter *bello egregium, haud facilem vinci*, et melius corrigeres, si ea sententia requiretur, *et facile invictam.* Sed nihil mutandum.

447. *Condebat.* P. *condiderat* mavult. Imperfectum, ut etiam Wagn. vidit, propterea positum est, quod templum non magis absolutum fuit quam arx. Apparet hoc etiam e v. 455 *Artificumque manus inter se operumque labores Miratur,* h. e. manus artificum inter se operantium; quod quamquam singulari modo apte tamen ac pulcre dictum est, quoniam qui artifices in uno opere occupatos conspicit, manuum habilitate qua inter se operantur delectari solet. Et simplicior haec mihi videtur interpretatio esse quam Heynii: miratur, dum inter se comparat. P. *mirantur* conjecit, ut jungeretur *mirantur inter se Aeneas et Achates*; quod propter praecedens *lustrat opperiens* ferri nequit.

458. *Atridas Priamumque et saevum ambobus Achillem.* Inanes sunt causae ob quas P. hunc versum pro subdiditio habet: „Dicendum erat *Atridem.* Et ita legit Senec. Ep. 104. Et cur Achilles Atridis saevus? Lis inter eum et Agamemnonem non pertinebat ad opera et picturas, quae Aeneas et Achates mirantur. Videt *Iliacas ex ordine pugnas* et Priamum. Irae illius nulla in sequentibus est mentio. Cur *saevus Priamo*? Quia Hectorem occidit, Heyn. ait. Quod quam sine nervo sit, nemo non sentit. Quid? quod ipse Priamus Achillem laudavit 2, 540. Aeneas hic res quas spectat universas miratur, homines nondum distinguit. Ideo mox exclamat agnita Priami facie: *En Priamus!* Qui hoc scripsit supra scribere non potuit, Aeneam jam vidisse Priamum.“ Quae in his refutatione egent Wagneri nota critica satis refelluntur. Unum addam, si in picturis nulla commemoratur, quae Achillem Atridis saevum ostenderit, noli inde concludere nullam fuisse. Revocatur enim Aeneas a spectando adventu Didonis.

462. *Sunt lacrymae rerum et mentem mortalia tangunt.* P. non credit, si recte dicatur *lacrymae Creusae* 2, 784 et *Lausi dolores* 2, 413 pro lacrymis et doloribus propter Creusam et Lausum, pariter dici posse *lacrymae rerum* pro lacrymis propter res. Cur non credat tacet. Scilicet eo differunt, quod *lacrymae rerum* magis etiam offensione caret, quum *lacrymae Creusae, Lausi dolores* ambigua videri possint, *lacrymae rerum* non possint. Deinde pro *mentem* e vulgari Latini sermonis lege *mentes* scribendum fuisse arbitratur, quasi eum latuisset, innumerabilibus locis a poetis maxime hanc legem migrari. Cf. 2, 35 *quorum melior sententia menti;* 54 *si mens non laeva fuisset*; 8, 440 *huc advertite mentem;* 9, 292 *percussa mente dederunt Dardanidae lacrymas.* P. non magnam mutationem appellat, si scribatur: *Sunt lacrymae, reor, atque homines mortalia tangunt*, quae prorsus languida et vix prosa oratione digna esse nemo non sentit.

505. *Tum foribus divae, media testudine templi — resedit.* P. verissimam Wagneri disputationem de ablativo vocis *medius* omissa praepositione neglexit semperque loquitur, quasi *media in* vel *sub testudine templi* scriptum sit, quod sane alteri: *foribus divae* repugnaret. Propterea legi jubet *Tum foribus divae media, a testudine templi — resedit. Media foribus* cum dignitate dictum esse ut 1, 697 *aulaeis jam se regina superbis Aurea composuit sponda mediamque locavit. A testudine* significare:

ab ea parte ubi jaceat testudo templi. Quae quisque otiosa esse videt, quum per se intelligatur, eam foribus sedentem viam non tergo spectasse. Mihi omnino non videtur jungendum *media testudine templi resedit*, sed commate deleto *foribus media testudine templi* h. e. foribus media parte testudinis immissis sive ad mediam testudinem ducentibus, ut foribus hoc modo certus locus designetur.

512. *penitusque alias avexerat oras.* Lachm. ad Prop. 4, 6, 63 *advexerat* maluit, idque P. praefert, quoniam si *avexerat* legas, magis viderentur cursum in Africam destinasse. Quae vis in verbo omnino non inest. *Avexerat*, cogita: ab Aenea.

518. *Quid veniant cuncti; nam lecti navibus ibant.* Huic Wagneri lectioni P. recte praetulit veterem Heynii: *cunctis nam lecti navibus ibant*, quamquam alteram non satis refutavit. Aeneas scire cupiebat, quo consilio venirent, quid vellent; nihil ad rem, quare *cuncti* veniant. Similiter *nam lecti navibus ibant* certo consilio eos venisse affirmat, causam ob quam *cuncti* venerint non continet. Contra si *cunctis* navibus lecti ivisse dicuntur, eo certiori documento est, non casu sed consilio illos adesse, aliquid petituros.

519. *Orantes veniam et templum clamore petebant.* P. „Huic versui, inquit, optime subjiceretur ille supra positus: *Dissimulant et nube cava speculantur amicti.*“ Rationem non addit.

578. *Si quibus ejectus silvis aut urbibus errat.* E nonnullis codd. post Burmannum *montibus* praefert. „Nam naufragi, inquit, errant in locis *solis*, non adeo in *urbibus*. *Montes et silvae* habent aliquid proverbiale.“ *Urbibus* jam Heyn. recte defendit. Cf. praeterea 4, 173 *Extemplo Libyae magnas it fama per urbes.*

589 sq. *namque ipsa decoram Caesariem — afflarat honores. Afflarat caesariem decoram* P. ridiculum esse ait propterea, quod Aeneas reliqua quae ei afflari dicuntur non habuerit, *caesariem* habuerit. Corrigit: *ipsa decorem Caesarii nato cet.* Sed nisi fallor idem vult vulgata lectio, quam nemo profecto ita intelliget, quasi Aeneas antea fuerit calvus, sicuti nemo de Ulixe putavit, ubi Minerva Od. 6, 230 *κὰδ δὲ κάρητος οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.* Itaque non ipsam caesariem, sed magis decoram quam antea afflavit.

602. *magnum quae sparsa per orbem.* Hemistichium e Peerlkampii sententia aliena manu additum, quum Aeneas nec alias Trojanorum colonias per orbem dispersas neque ipsius Antenoris noverit, et dixerit modo, *se esse reliquias Danaum.* Qua in re magnopere erravit. Sciebat Aeneas in Creta Trojanos morari quos ibi reliquisset (3, 190), Helenum cum Andromache in Epiro, Acestem in Sicilia; idem scire debebat, praeter se et socios alios quoque urbis incendium effugisse ac diversas terras petiisse, neque umquam se unicas reliquias appellavit. Si vero nesciit haec ac se cum suis pro unicis reliquiis habuit, quo jure tum dixit: *Non opis est nostrae, nec quidquid ubique est gentis Dardaniae?*

603 sq. *Dî tibi — Praemia digna ferant.* Collato 9, 252 *praemia — pulcherrima primum Dî moresque dabunt vestri* P. bene intellexit haec jungenda esse: *Dî tibi — et mens sibi conscia recti Praemia digna ferant.*

607 sq. *In freta dum fluvii current — sidera pascet.* Gemini versus a Peerl-

kampio spuriis adnumerati. „Quisenim, inquit, intelligat *dum umbrae montibus lustrabunt convexa?*“ Ergo ille non vidit magnas montium umbras sensim in vallibus sive convexis montium progredi easque totas percurrere. Minus recte dicitur hoc de umbris silvarum, quas Heyn. intellexit. Illud P. probe sensit, totius loci sententiam perversam fore, si interpreteris: quamdiu hic mundus stabit, laudes tuae manebunt *apud me*, quocumque veniam. Sed notionem *apud me* praeter necessitatem intulit. Nec verior est Wagneri explicatio: „in iis terris in quibus consedero, ut perennis sit tui beneficii memoria efficiam;“ etiamsi verba per se spectata eam admittant. At magnificae praedicationis valde debilis exitus foret, si locus ubi memoria facti sit mansura certis finibus circumscriberetur; quare illud potius Aeneas dicere videtur: nihil refert quocumque terrarum abigar, quavis conditione nomen tuum laudesque aeterna manebunt. Hoc rhetorice magis quam vere nunciatum esse libenter concedamus, sed pleraeque apud Vergilium orationes hoc vitio laborant.

613 sq. *Obstupuit primo adspectu — et sic ore locuta est.* Ut elegantius P. mavult: *obstupuit primum adspectu — casu deinde viri, tandem sic ore locuta est.* Et *primum* quidem jam Heins. Poeta tamen non sine ratione *primo adspectu* scripsit, quoniam non tam in adspectu ipso erat cur obstupesceret, quam in primo tamque subito adspectu.

636. *Munera laetitiamque dii.* P. ut plerumque impiger in conjectando hic quoque lectionem sibi invenit, quam et difficultates removere et satis verisimilem esse credit: *Muneraque laticemque Lyaei*, ut *munera* aut alia dona v. c. vestes significent, aut *muneraque laticemque* „laticem, quae sunt munera Lyaei.“ De qua conjectura nihil addam. In lectione *munera laetitiamque dii* negat *munera* ad antecedentia referri posse, quoniam per se intelligatur, tauros sues agnos dono mitti; de aliis rebus si accipiatur v. c. vestibus, copulam requiri. Apparet autem arctissime jungenda esse *munera laetitiamque dii*, quod prorsus apte prioribus apponitur, modo ad vim vocabuli *dii* recte attendas. Nam Dido illas pecudes non misit, ut simpliciter dono essent, sed tamquam laetificum donum festi illius diei.

674 sq. *ne quo se numine mutet — mecum teneatur amore.* Servii interpretationem „*mecum*, per meos amores, me adnitente“ non ferendam esse, et multum differre quod comparaverunt *mecum erit iste labor*, P. recte intellexit. Quam idem Heynio tribuit: amet Dido Aeneam *sicuti ego amo*, tueor tamquam mater, propterea reprehendit, quoniam amor maternus longe alius sit, atque is quo Cupido feminas incendere soleat. At Heyn. hoc non dixit, sed caute: „amet Dido Aeneam, *quem ego amo*, tueor tamquam mater.“ *Mecum* igitur non est: sicuti ego, pariter atque ego, sed potius *simul mecum* magno Aeneae amore teneatur. Diversum amandi genus significari intelligit statim quicumque Venerem scit matrem Aeneae esse. Nec quisquam reprehendet matrem pueros hortantem: pueri mecum amate parentem vestrum. P. scripsit: *Sed magno Aeneae mentem incendatur amore*, illud quoque negligens, *ne quo se numine mutet* et *mecum* inter se opponi.

701 sq. *Dant famuli manibus lymphas — mantelia villis.* P. hic difficilis et morosi judicii insigne documentum praebuit. „Duos versus, inquit, habeo suspectos.

Hic *famuli* et mox *famulae* et *ministri.* Famuli aquam apportant ad manus lavandas, iidem panem in mensa ponunt et mantilia ferunt ad manus tergendas. *Panis* in medio valde alienus est et *mantilia* pariunt fastidium. Quae res fortasse nonnullos movit, ut cogitarent de mappis ad mensas tegendas. Et cur hi famuli jam nunc panem ponerent, quum statim memoretur fuisse famulas, quae intus cibos pararent, alias et ministros qui cibum et vinum inferrent. In Mss. hic iterum varietas: *dant famulae*: *dant manibus*: *dant lympham.* Tum panis in ipsis canistris apponebatur, et apud Homerum et apud Verg. 8, 180. Denique illud *tonsisque ferunt mantelia villis* idem legitur Ge. 4, 376 ad quem locum duo versus videntur formati, et ubi meliorem vides rerum ordinem, *aquam*, *mantelia*, *cibos.*" Quae singula non refutabo, hoc tantum additurus, *Cereremque canistris expediunt* non videri ita intelligendum esse, quasi famuli panem *e canistris* sublatum in mensis posuerint, quod sane contra vulgarem consuetudinem pugnaret, sed de pane potius, quem *in canistris* struxerint, ut coenaturis paratus esset. Cf. Val. Flacc. 2, 341 *mediis famulae convivia tectis Expediunt. Mantelia* non solum post manuum lavationem sed in ipsa coena ad manus tergendas usurpata esse Becker. docet Gall. 2 p. 153. Nec cogitandum est, eosdem famulos aquam panem mantelia attulisse, sed eodem tempore a diversis famulis hoc esse factum. Haec autem omnia, lymphas datas, canistra cum pane, mantelia in justa convivii apud epicum poetam descriptione requirimus.

716. *Et magnum falsi implevit genitoris amorem.* Plane ego assentior verissimae Heynii interpretationi: „desiderium ex absentia quo pater tenebatur, dixit *amorem magnum,* quem puer nunc explevit satiavit amplexu." Quae P. non refellit, illud tamen objiciens: *filius amorem patris* vel *erga patrem implet* nihil aliud significare posse nisi filius se erga patrem ita gerit, ut ad amorem et pietatem nihil desit. Nam quum *implere* semper cogat ut de mensura cogitemus, *implere amorem* nihil esse nisi: mensuram amoris implere. Non mirum est, talem sententiam Peerlkampio ipsi displicuisse, qui propterea multa hic turbata esse suspicatur.

721 sq. *et vivo tentat praevertere amore — desuetaque corda.* Tria in his verbis a Peerlkampio vituperata sunt: *tentat* lenius esse de Cupidine, qui quas velit facilis incendat, *praevertere* obscurum et huic loco minus idoneum, *vivo amore* frigidum, tamquam oppositum sit mortuo amori. Injusta tamen illa vituperatio, quum *tentare* optime conveniat praecedenti *paulatim abolere incipit*, nec minus recte *praevertere* dictum sit. Namque ut in cursu minus velocem praevertimus, 7, 807 *cursuque pedum praevertere ventos*; 1, 317 *volucremque fuga praevertitur Hebrum;* sic Cupido *resides animos* praevertit sive praecurrit vivo amore, antequam memoriam Sychaei paene abolitam renovare possint. *Et vivus amor* opponitur amori in Sychaeum paene exstincto animisque residibus. P. tractis huc quae supra in suspicionem vocavit, scribere proponit: *paulatim abolere Sychaeum Incipit, et falsi implevit genitoris amore Jam pridem resides animos desuetaque corda.*

737. *Primaque, libato, summo tenus attigit ore. Libato* non admodum gratum hic esse concedendum est; *prima* autem P. frustra reprehendit. Nam si per se intelligitur et sequente *tum* supervacaneum est, similiter innumerabilibus locis *primus*

vel *primum* esset ejiciendum. Conjecturae certe nullus omnino locus fuit, ac minime omnium tali, qualem P. protulit: *Vinaque vix labio summa tenus attigit ora*, *Cum Bitiae dedit*; quibus argutam hanc subjunxit explicationem: „Vergilius in Didone summam modestiam et pudorem observavit. Supra loquitur *voltum demissa*. Hic imprimis cavet ne vel aliquid bibisse videatur. *Vina* attigit uno labio inferiore, a summa poculi ora, margine, et vix attigit, quum statim dedit Bitiae. Si paulo diutius ori admotum tenuisset poculi marginem, malevolorum suspicionem non vitasset."

Scr. Hildburghusae a. d. VI. Cal. Martias a. MDCCCXLV.

Joannes Siebelis.